Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

~~Elzevier.~~
~~D.H.7.~~

Elzevier. —
Av. la vignette,
et devise.

KW 224
E 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

JACOBI BASELI
Eccleſiaſtæ Kerckwervienſis,

SULPITIUS BELGICVS,

SIVE

HISTORIA RELIGIONIS,
Inſtauratæ, Corruptæ & Reformatæ

In BELGIO & à BELGIS

à nato Chriſto ad annum cIↄ Iↄ.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ DAVIDIS LOPEZ de HARO.

Anno cIↄ IↄcLVI.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, & Spectatiſſimis Viris,

D. D.

SATRAPAE, CONSULIBUS, SCABINIS, TOTIQUE SENATUI, Inclytæ & invictæ, CIVITATIS BERGOPZOMANÆ.

SI quæ veritati ineſt vis & claritudo, ea æquè ſemper nota eſſet, potuiſſem his curis ſuperſedere N. N. & A. A. viri. At vero cum in altum puteum demerſa & quaſi ſubmerſa ſæpius & diutius jaceat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ex eo erui eandem oportet, & hominibus in lucem proponi. Quod quidem eo difficilius factu eſt, quo gravius peccatum ab his, qui res præclare & in ejus patrocinium geſtas aut præ negligentiâ turpi ſilentio prœterierunt, aut præ malitiâ fœdis mendaciis conſpurcarunt; adeo ut illæ aut ignotæ prorſus ſint, aut peſſimis poſthabeantur. Operi manus admovendæ tamen, neque ob difficultatem prætermittendum; ſicut neque ob ſordes, quæ fœtidius illud quam Augiæ ſtabulum repurgantes contaminare, vel illis adhærere queunt, ab illo aut fugiendum aut deſiſtendum. Certum quippe eſt; hæc circumſpectè adeo tractari non poſſe, quin, ſi non ipſe labis aliquid contrahas, alter tibi adſpergat. Sed cum veritatis eadem quæ Dei, ejuſdem authoris, cauſa ſit, illam defendendam ſuſcipere debe-

mus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

mus, etiam cum incommodo & moleſtiâ noſtrâ. quæ eo major eſt, quo minus rebus ad id neceſſariis inſtructus eſt is, qui ſe magno illi operi accingit. At cum in magnis voluiſſe ſufficiat non ſolum, ſed & quos ad extructionem tabernaculi pauperes attulerunt caprarum pilos, arietum & thaſorum pelles rubricatas, æquè ut neceſſarias ad opus conficiendum, ita gratas Deus habuerit ac fibulas, inaures, annulos, armillas & cætera aurea, argentea & ſimilia pretioſa vaſa à divitibus oblata; cum item duo minuta à viduâ pauperculâ magis Deo probata fuerint, quam dona divitum, utraque in idem gazophylacium immiſſa: cum hæc, inquam, ſciamus, maluimus nos ipſi (aliis tacentibus, qui, ut ex divite penu ſuo facilius id facere, ita & ipſi veritati magis conſulere poſſent) ex penuria noſtra totum

Exod. XXXV.22, 23.

Luc. XXI.1, 2.

quaſi victum, quem habemus, dare, quam nihil conferendo eandem incultam, incognitam, laceratam, & pene exſtinctam relinquere. Feci ergo quod potui, non quod debui aut requirebatur. Quod tamen feci, gratum erit, ut ſpero, ſi non omnibus, certe iis, quibus facile probatur rei utilis, non ornatus, ſed conatus. Res ſane, quam tracto, utiliſſima eſt, ſcilicet Religio, fides & pietas ut Dei, ita & parentum & majorum noſtrorum, quibus authoribus, temporibus & locis illa olim primum prædicata & inſtaurata, dein corrupta & depravata, tandem etiam repurgata & reformata ſit anguſtis hiſce in Belgii, noſtri oris, vel etiam alibi ab iis, quos eædem olim genuerunt. Quod opuſculum dum ex more ut recepto, ita & ſacris ſcriptoribus, adeoque ipſi Deo probato, non

niſi

niſi ſub patrocinio illuſtrium virorum in lucem exire conſultum judicarem, non diu, aut anxie mihi quærendum fuit, quibuſnam illud inſcribendum eſſet. Veſtris N. N. & A. A. quippe ut debetur, ita ſponte ſua ſeſe offerre geſtit: nam eædem me ita ſibi beneficiis obſtrictum habent, ut ſummæ ingratitudinis ſit illa tegere aut diſſimulare. Certè tantum abeſt ut illorum immemor ſim, ut potius hiſce publicè prædicem & agnoſcam, me non poſtremo loco habere, quod ut me veſtratem nativitas, ita veſtrum beneficia veſtra fecerint. Huc accedit altera non minor ratio quâ uti neceſſarium, ita quam maximè decens & conſultum judicavi, ut cum tum Parens, tum Avus, tum Proavus mei, Samuel, Jacobus Filius & Pater, Baſelii, inter primos, nec

poſtremos, dum viverent, Eccle-ſiæ Chriſti in urbe veſtra mini-ſtros fuerint, ego eorundem Fi-lius, Nepos & Pronepos, horum majorum meorum veſtigiis inſi-ſtens & ipſe Verbi Divini Mini-ſter, Religionis ejus, quam puram prædicarunt, hiſtoriam qualem-cunque ſcribens illam inſcribere Magiſtratui illius Urbis, quæ
1588. *pro eadem duas, ut graviſſimas*
1622. *ita famoſiſſimas, obſidiones paſſa eſt, & fortiter obdurans feliciter tulit, ut prætercam frequentes & maxime formidabiles machinatio-*
1605. 22 Auguſt. 20. Septemb. *nes, nominatim binas illas intra menſem repetitas & animo non mi-nus invicto ſuperatas. Quarum quidem obſidionum priorem hiſto-riam, cum jam nominatus Avus meus Jacobus Baſelius, F. à ſe con-ſcriptam (cujus & pars magna fuit, quamque ipſe vidit, ut ille*

ait)

ait) Veſtrarum N. N. & A. A. præclaris prædeceſſoribus ante dimidium ſæculum inſcriptum iverit, ego obſeſſæ quaſi religionis & liberatæ hiſtoriam, eorundem ſucceſſoribus haud indignis, Veſtris N. N. & A. A. item inſcriptum eo. Et id quidem ea ſpe, ut ſicut olim Majoribus Veſtris placuit Avi mei ſcriptum, tum argumento tum ſtylo, ita hocce Nepotis ejus, ſolo argumento laudabile, Veſtris N. N. & A. A. placeat & arrideat.

Valete Viri Nobiliſſimi Ampliſſimique, & Remp. vobis concreditam benè, prudenter, juſtè & feliciter, quod facitis, regere & adminiſtrare pergite, ut illa ſicut hactenus, ita & inpoſterum, Deo favente, MILLE PERICULIS SUPERESSE *poſſit. Hoc Vobis, hoc Urbi Veſtræ, Patriæ ſuæ, ex animo*

precatur & vovet, ſimulque novi hujus anni, ut initium, ita & progreſſum & exitum, quam maxime felicem & ſalutarem exoptat

V. N.N. & A.A.

Kerckwerviæ in Scaldia, Zelandiæ Inſula non incelebri, VIII Januarii, cIↃ IↃc LVI.

æternum obſtrictus & devotus

JACOBUS BASELIUS.

Bene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Benevolo
LECTORI
S.P.D. Author.

QUod ab aliis ſive intentatum, ſive imperfectum, ſive non debito modo & fine productum, aggreſſi ſumus, Chriſtiane Lector, Hiſtoriam ſcilicet earum rerum, quæ ſuper religione Chriſtianâ in Belgio & vicinis locis, aut à Belgis ipſis alibi, ſive benè, ſive malè geſtæ ſunt, & id quidem ab initio Euangelii apud eos prædicati, uſque ad patrum avorumque noſtrorum ætatem. Opus arduum imprimis & ingens, & cui perficiendo vix hominis unius ætas ſufficit, licet ei librorum, otii, eruditionis & cæterorum requiſitorum, quantum requiritur, ſuppetat. Quare miraberis meritò cur ego, cui hæc omnia deeſſe ipſemet agnoſco, vaſto illi mari me committere ſim auſus. Quia tamen *quoad ſtatum religionis & eccleſiæ in Belgio ante reformationem adhuc ex profeſſo, nihil de eo ſcriptum meminit* magnus ille librorum helluo, quarumvis materiarum diligens juxta & accuratus indagator, & authorum de ſingu- *Exercit. & Biblioth. Studioſi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ſingulis tractantium liberalis & copioſus promus condus, Giſbertus Voetius, & ego earum rerum perquam curioſus ſemper fui, ac hactenus id exſpectavi atque avidè deſideravi, ab alio me aptiore fieri, ſed fruſtra, malui deſiderio meo ipſe ſatisfacere, & ex fontibus ipſis, aridis certè & diſperſis, ſi non ad ſatietatem bibere, ſane ſitim aliquo modo ſedare, quam ſitibundus vitam degere. Id autem eo lubentius feci, quia mirâ felicitate rivos nonnullos ſi non novos, certe incognitos tum inveni ipſe, tum primum itineris ducem & operis ergodioctam habui Marcum Zuerium Boxhornium. cui ob magnam eruditionem, promptam elegantemque facundiam, ſubactum judicium, antiquam familiæ utriuſque noſtræ & poſtmodum privatam neceſſitudinem, & demum ex uxore meâ ſubſecutam affinitatem, ſeu, ut vulgo vocant, cognationem, ut multum vivo nuper, ita & nunc mortuo tribuere ſoleo. quanquam difficultas operis non ſemel me ita deterruerit, & pene deſertorem fecerit, ſane feciſſet, niſi qui author incœpti, idem & progreſſus fuiſſet, quando quæ ſpeciminis loco ipſi exhibueram, magis pro benevolo ſuo in me affectu, quam meo merito laudare non

Theol. lib. 2. Sect. 2. cap. 9. appar. ſpeciali ad notitias ſtatus hodierni partic. Eccleſ. p. 882.

non ſolum voluit, verum etiam mihi animum deſpondenti identidem magni Oratorum Inſtitutoris, ipſe inſignis Orator, occinuit, *fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decere, dum & venia & ſpes eſt, & paratus favor, & audere non dedecet, & ſi quid deſit operi ætas ſupplet, & ſi qua dicta ſunt juveniliter pro indole accipiantur.* Ita, quam exorſus eram, telam pertexui aliquo modo, & amicis eruditioribus ac ſincerioribus expurgandam exornandamque dedi: quos inter, ſi vel ſolum ſtudiorum non tam ſocium, quam primipilarem ducem, & vitæ Academicæ fidiſſimum Achatem commemorem, haud male me facturum exiſtimo. Is eſt Iohannes Erpenius, magni illius Thomæ haud degener filius. Cujus juvenis ſolertis judicii, magnæ eruditionis, ſummæ modeſtiæ, nec minoris pietatis, raræ in illâ ætate & ſtudioſorum vitæ genere virtutis, cæterarumque animi dotium vere cœleſtium, quoties memor ſum (recordor autem ſæpiſſime) non poſſum non graviter ingemiſcere, &, præter privatam meam, jacturam, litterati orbis æque ac Reip. noſtræ (cui regendæ ſub finem vitæ, quam in trigeſimum annum vix protraxit, Syndici Monachodamenſis

M. Fabius Quintil. Inſtit. Orato. lib. 12. cap. 8.

damenſis

damenſis munere ei inſcio & fermè invito, ſed optime imò majora merito, collato, admotus fuit) vices dolere, quod exoriente imo ſplendente illo ſole diutius nobis in hac rerum caligine frui haud ſiverit Deus noſter. Is autem Erpenius non unis litteris ad me Lugduno Batavorum datis institutum meum, & ſecundum id affectum, imo quodammodo perfectum, opus, ita ſibi placere ſcripſit, ut ita in pergendo alacrior redditus fuerim, ut tandem in hanc, quam vides, magnitudinem excreverit. quæ ipſa tamen major eſſet, niſi operi huic apud me conſtitutus modus, eidem quoque aliiſque probatus, à me ſervatus eſſet. Sciant quippe Lectores, me præſenti in opuſculo non omnia dare quæ quidem poſſum, (quia in promptu habeo) ſed nonnulla tantum, eaque tum plura, tum ſelectiora, cætera vero, non minus utilia, daturum, & ſuo ordine locoque diſpoſiturum, quin & hoc ipſo in argumento perrecturum, uſque ad finem ſæculi proxime elapſi & religionis hujus noſtræ ab ipſis proceribus, pręter profeſſionem, ſuſceptum patrocinium, ubi deprehendam præſentia hæcce non ingrata eſſe vobis, nec cedere dedecori horum authori. qui ut gloriam

ex hiſce non quærit, ita nec ignominiam exſpectat. Eccleſiæ ut prodeſſe, non deeſſe, voluit, ita nec ſibi. Quod ſi vero præter ſpem ſuam eveniat, deplorabit ſortem ſuam ille, qui non ſcribendi pruritu, ſed eccleſiam ædificandi & inſtruendi ſtudio ductus, hæc digeſſit. ad hæc fortiter devorabit hoc quicquid erit moleſtiæ: cum exiſtimet ille inter cætera Belgicis Eccleſiis hæc quam maxime deeſſe. in quarum exiguâ indignus miniſter ſecum reputans Flavium Joſephum de Judæis tradere, *quod Sacerdotibus atque Prophetis Hiſtoriæ conſcribendæ munus demandare ſoliti erant*, & ſubſecivas à miniſterio horas, non turpi ignavia aut deſidi otio, ſed laborioſo juxta ac utili negotio tranſigens, eccleſiarum nationis ſuæ, maxime quidem illuſtrium, ſed minus ab origine cognitarum, adeoque obſcurarum, Hiſtoriam conſignare voluit, quo in ſcribendi genere, cum primus ſeſe occuparit, & glaciem, quod ajunt, fregerit, facile veniam merebitur & conſequetur apud eos, quibus in magnis voluiſſe ſat eſt & probatur. quin & eo animo ſe eſſe ingenue profitetur, ut ſi forte viris apud nos eruditioribus & modeſtioribus minus huic operi

Lib. 1. contra Appionem in initio.

aptus

aptus eſſe videbitur, facile & ſponte quaſi ſe deſtiturum non ſolum, ſed & ea quæ in adverſariis quamplurima, eidem ſi non abſolvendo & perficiendo, certe ornando & augendo, atque, ut dixit, ad finem proxime elapſi ſeculi producendo, aliis de communi ſuffragio ad id eligendis, certe ipſo aptioribus, communicaturum; idque non alium ad finem, quam ut illi ipſi ea ornatius proferant: vel ſi ipſum operi iſti aliquo modo non quidem parem, ſed utilem & aptum judicabunt, is unumquemque illorum, imo omnes & ſingulos, quà Theologos, quà Politicos, obſecrat & obteſtatur, ut ſua, quæ proculdubio hic plura, ille pauciora, iſte rariora, quiſque egregia documenta & ſcripta, ſive impreſſa, ſive manu exarata, habebit, tam prompti ſibi communicare velint, quam quidem dictâ conditione is ſua alteri ſe communicaturum iterum pollicetur: ſicut & illud ſpondet, ſe publicè debitam gratiarum actionem redditurum illis, qui utile hocce opus aliquo modo promoverint, & ad ejus perfectionem aliquid contulerint: minor quippe illis non referetur gratia, quam iis quos hoc nomine præſenti in opere laudatos legetis. Quod quidem ipſum

Sulpitius Belgicus à nobis vocatus, quia Sulpitium Severum, nobiliſſimum Eccleſiæ Hiſtoriæ Univerſalis ſcriptorem, non elegantia & ſtylo, ſed brevitate, methodo & veritate in deſcribendâ Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Belgicâ imitati ſumus: haud aliter ac annis proximis hiſce elapſis viri eruditi L. Florum, Hiſtoriæ Civilis Romanæ ſcriptorem brevem & accuratum in deſcribendis rebus in Germaniâ aut alibi geſtis imitantes, Floros ſuos Germanicos, Polonicos, Anglicos alioſque ediderunt. Sulpitius autem hic Belgicus comprehendit annorum mille ferme & quingentorum Hiſtoriam, quâ prima & pura prædicatio Euangelii & Religionis informatio, per præcones verbi & Dei ſervos, dein ejus corruptio & deformatio, per veritatis hoſtes & Antichriſti ſatellites, tandem corruptæ oppugnatio & reformatio, per veritatis teſtes & Antichriſti oppugnatores, antiquiſſimis, mediis & poſterioribus etiam obſcuriſſimis temporibus, narrantur & vindicantur. Temporum rationem & ſeriem per ſecula & annos ut ubique expreſſimus, ita & quam accuratè licuit obſervavimus, Quare litem nobis nemo intentet aut moveat. quia, præterquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

terquam quod authores ipſi aut differant, aut errent, illa hujus loci propria non ſunt, ſed Chronologos ſpectant. In hac autem diverſitate, quod nobis probabilius aut commodius viſum fuit, amplexi ſumus, ſine præjudicio tamen aliter ſentientium. Ad hæc Belgium prioribus ſeculis paulo latius ſumpſimus, quam poſterioribus. quibus tandem contractum eſt intra anguſtias ſeptemdecim Provinciarum. Namque Germania ſecunda veterum, ſicut & Gallia Belgica ipſa latius patent. Adde quod & Germanorum nomine Belgæ ut plurimum notentur, in ſcriptis medii, ut vocant, ævi, præſertim quæ à Germanis ipſis edita ſunt; ut & in ſcriptis illis, quæ à Gallis aut Francis medii item ævi producta, etiam Belgæ Gallorum nomine vocantur, ii præſertim qui fuerunt ditionum Gallis aut ſubjectarum aut vicinarum. De his limitibus non eſt quod quis nobis negotium faceſſat, cum illis poſitis aut expreſſis, nec minutæ horum, nec auctæ illorum principum ditiones. Nec minus vitio nobis verti poteſt in hocce Sulpitio Belgioo meminiſſe Tungrenſium, Leodienſium aliorumque, quam Valerio Andreæ, qui Bibliothecam ſuam Belgicam,

quam

quam de vitis & ſcriptis eruditorum Belgarum Lovanii ante annos triginta primum, dein ante annos decem auctiorem edidit, præter Colonienſes, Trevirenſes alioſque, his ipſis Leodienſibus & Tungrenſibus ſcriptis & authoribus quos novit, auxit & ornavit. Quæ porro narramus, ut ab aliis facta, non à nobis ficta, adeoque vera eſſe conſtet, unde ea hauſerimus & quibus authoribus eadem affirmaverimus, ad marginem paſſim expreſſimus, additis tempore & loco editionum, quibus uſi ſumus: & ſi quos ipſos inſpicere non datum eſt, prout in inſula, vivimus, addidimus illos ipſos, quorum oculis, & fide ea tum vidimus tum narravimus. Subjunximus ſub finem ſcripta excerptaque, quæ ab uſu documentorum nomine inſignivimus, partim fidei firmandæ cauſa, partim quia ipſa majora nimis, quam ut ſine magno hiatu operi ipſi inſeri, & prolixiora, quam ut ſine tædio ibidem legi, & tamen egregia nimis ſunt, quam ut illa prorſus ignorarentur, & non ſuo loco proferrentur. quorum tamen ſummam & ſcopum, ſatis, ni fallor, fideliter & appoſite in ipſo textu expreſſimus. Quod Latine hæc ſcripſimus, nobis noſtræ conſtant ra-

tiones.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

tiones. quarum unam verbis memorati Erpenii, ad me Epiſtolâ inter cætera perſcriptis, malo te legere, quam meis. Ita ergo ille, *Hiſtoriam tuam Eccleſiaſticam, ſive ut apte eam vocas, Sulpicium Belgicum Latino ſermone loquentem libentius equidem auditurus ſum, gratiorem enim viris doctis futurum arbitror. neſcio enim quo pacto plus dignitatis iſthæc lingua & eruditionis majorem ſpeciem ſcriptis conciliat.* Sic ille *Non autem*, mi Lector, *exquires à nobis, qui apud Celtas commoramur & in barbarum ſermonem plerumque avocamur, orationis artem quam non didicimus, neque vim conſcriptionis, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum neque ſuadelam, quam neſcimus: ſed ſimpliciter & verè & idioticè, ea quæ tibi cum dilectione ſcripta ſunt, cum dilectione percipies.* Nam & *hoc cogitandum eſt quod ii, qui in tam variis contexendis ſerio incumbunt, verborum curam accuratam habere vix poſſunt, neque eſſe eam in Hiſtorico magno requirendam; & ſane vix fieri poteſt, quin ii qui tantam molem moliuntur, & autores prope innumerabiles perlegunt, è quibus ſua colligunt, ſtyli aliquam variationem & inæqualitatem incurrant.* Et his quidem verbis & rationibus utriuſque

Irinæus Præfat. ad libros ſuos adverſus Hæreſes p. 2.

B. Keckermannus lib. 2. de natura & proprietate Hiſtoriæ, cap. 5. can. 4. art. 12. p. 196. in 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

que authoris inſignis, illius veteris, hujus recentis, excuſamus ſtyli noſtri tum ſqualorem, tum varietatem. ut prætermittam nos ſive ſtudio ſive incuria promiſcuè ſcripſiſſe verba quædam variantis ſcriptionis. Quæ vero quamplura occurrunt, tum in textu, tum in margine ſenſum perturbantia omiſſa & errata, rogo ne mihi procul ab officinis typographicis diſſito, nec autographo ſic ſatis nitide deſcripto, ſed incuriæ aut inſcitiæ typothetarum adſcribas, eademque ſuppletas & corrigas ex ſubjecto erratorum indice. qui quidem, quia contra decus & præter opinionem meam ſic ſatis ingens eſt, conſilium de ſubjiciendis diverſis indicibus perſonarum, locorum, authorum, rerum, ut & S. Scripturæ locorum citatorum, impræſens ſuſtulit. Cæterum nemo, nos temeritatis aut feſtinantiæ accuſet. cum non temerè, ſed præmeditatè, & Deo, ut in initio ita & in progreſſu operis in ſubſidium auxiliumque ſæpius & ſerio, ut decet, invocato, neque ſpontè, ſed ab alio, ut diximus invitati, & ſi audire libet, certè dicere licet, inſtigati, neque proprio noſtro judicio (quod cæcutit plerumque & nimium ſui amans eſt) freti, ſed præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

jam dictos aliis, iiſque magnis viris, & horum ſtudiorum ut peritis ita & æquis æſtimatoribus, Voetiis, Hoornbeeckiis, Reviis, quantis Theologis & Hiſtoricis! coram diverſo tempore conſultis, eorundemque ſuffragiis muniti, poſtquam hæc ipſa in nonum fermè annum preſſerimus, in lucem, quod felix fauſtumque! prodamus. Quod ſi vero aliquid minus cultum aut rectum hic apparebit, fraterne moniti, illud perpolire, hoc emendare non erubeſcemus. Hunc ergo in finem uncialibus, quod ajunt litteris hic appendimus: QUOD SI IN HOC LIBRO ALIQUID ALIENUM AB ECCLESIA, CONTRA PIETATEM, BONOS MORES AUT PACEM PUBLICAM OCCURRIT, ID INDICTUM ESTO, ET MAGNI AUGUSTINI EGREGIO EXEMPLO RETRACTATOR.

Tempus eſt ut præfandi finem faciam, & te ad lectionem ipſam dimittam. quod tamen bonâ tuâ veniâ non facturus ſum, niſi tu prius ſuper aliquibus adhuc à me monitus fueris. Quorum primum eſt, quod ea quæ prioribus ſeculis geſta eſſe referimus, eâ fide narremus, quâ accepimus; ita tamen ut ea repurgaverimus à ſqualore & tenebris falſi-

falſitatis (quibus ſcatebant) quando nec miſſas celebraſſe priores Epiſcopos (ita etiam nobis ſenſu Apoſtolico, non Pontificio, nominantur Eccleſiarum Miniſtri, etiam illo tempore quando inter Epiſcopos & Presbyteros ſolius nominis, non dignitatis vel authoritatis diſcrimen eſſet) nec alia Romanæ ſuperſtitionis & idololatriæ ſpecimina edidiſſe ſcripſimus, etſi illud audacter & uno ore adfirment recentiores Pontificii. His aliiſque firmandis libet adſcribere verba Huberti Thomæ, Leodii, Electoris Palatini ante ſeculum conſiliarii. Deſumpta illa ſunt ex ejuſdem *de Tungris & Eburonibus aliiſque inferioris Germaniæ populis commentario* Anno 1541. Argentorati, in 8. apud Richelium edito. quem utinam vel ante annum legere licuiſſet: nuper enim tantùm eum nactus ſum. Is autem Thomas ſic inter cætera, *Dum hæc ſcribo non poſſum ſatis admirari eorum hominum, qui Sanctorum Patrum vitas ſcribere auſi ſunt, inconſideratam incircumſpectamque temeritatem in excogitandis, quæ illi magnifica putaverunt, miraculis, parum animadvertentes, vulgo tritum proverbium, quo dicitur, mendacem oportere multarum rerum habere memoriam, circumſpectiſſimumque* *Cap. ſummaria urbis Leodii deſcriptio, p. 47, 48.*

eſſe

eſſe debere. Perſpicere debebat nugator ille quiſquis fuerit, num Segnorum nomen ante divi Materni tempora, uſquam proditum fuerit, & tum quandoquidem fingere ne dicam mentiri ipſe volebat, dixiſſe regem Segnorum erga Maternum gratum, & ut ſuſcitatorum quinque natorum perpetuam faceret memoriam, oppidi nomenclaturam immutaſſe & exemiſſe aliquas literas, pro Signeii Cimeii dicendo, ut facilius perſuaderet. Ita cum ſcribit eundem beatum Maternum in die natalis Chriſti, tribus longe inter ſe diſtantibus civitatibus Tungris, Agrippina, & Treviris miſſam celebraſſe, non advertit, Materni ætate, miſſarum uſum nondum extitiſſe, ac longo poſt tempore conſtitutum à ſummis Pontificibus, non quidem ab uno totum, ſed ſubinde temporis progreſſu à diverſis, prout cuique pro pietate viſum eſt, quare dicere potius conveniebat, Maternum tribus eodem die ſupradictis locis, verbum Dei concionatum, quod officium illi, & non miſſarum legendarum, demandatum erat, quo melius perſuaderet, etiamſi ea tempeſtate nec natalis Chriſti feſtum celebrari cœptum fuerat. Hæc ille idem paulo poſt, *Quare viderint rerum Eburonicarum ſcriptores qui Navitum ſecundum*

Scriptoris vitæ Materni ſomnia.

Cap. De ſecunda Romanorum clade apud Varucam. p. 64, 65.

Tun-

Tungrorum antiſtitem Galliarum Ducis filium & Tungrorum Regis ex fratre nepotem faciunt. Deinde Metropolum quartum filium Ducis Lotharingiæ ex Vngariæ Regis filia Suerinum, item quintum Comitis Lovanii filium, cum ea tempeſtate, nec Dux erat Galliæ, nec Rex Tungrorum nec Lotharingia, aut Vngaria nomina erant, ſed nec Lovanium Comitatus. Viderint inquam, ne dum Hiſtoriam ſcribere ſe credunt, mera figmenta & nenias occinant, dum etiam ſanctis Epiſcopis Rerumpublicarum adminiſtrationes aſſignant, quas nec illi acceptaſſent, nec pertuliſſent iis temporibus Romani Tungrorum Domini. Quæ ejuſdem verba adſcribo, ut ſciant Lectores me non probare aut credere tum temporis fuiſſe Comites, Duces cæteroſque, etſi id ita de his ipſis Epiſcopis, Thomæ memoratis, ſuo loco ſcripſerim. qui vero fuerunt Duces, aut Comites, non fuerunt tales quales hodie ſunt illi, qui vulgo ſic vocantur. hodie quippe dignitatis & Dominii, olim vero officii & miniſterii quaſi nomina illa erant. Quare autem Papiſtæ veteres Epiſco-

D. A. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 5. cap. 6. Ille in officio Comitis militat. *confer quæ I. L. Vives ad ea verba commentatur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

pos magnatum filios fuiſſe ſcribant aut
credant, haud difficile dictu eſt iis qui
in origines errorum inquirunt, nempe
ut vel hinc Eccleſiæ ſuæ ſplendorem
concilient aut conſervent. qui tamen
ſplendor ita eos caligare fecit, ut, So-
Gen. XIX. 11. domitarum & Syriorum inſtar obcœca-
ti, in medio & ſummo lucis ſplendore
2 Reg. VI. 18, 19. toto cœlo errent, & à veritate magis
magiſque indies devient. Poſtremum,
de quo præfari volebam, eſt, ut de Wal-
denſibus, quorum mentionem tum no-
ſtris verbis, tum Hofferi noſtri elegiâ,
ſuo loco fecimus, aliquid addamus, oc-
caſione triſtis illius nuntii, qui ad nos
his menſibus elapſis venit, (non aliter
Luc. XIII. 1. ac ad Chriſtum olim de Galilęis à Pilato
inter ſacrificandum occiſis) de reliquia-
rum eorundem in convallibus Pede-
montanis, etiam hodie veterum Wal-
denſium nomen æque ac fidem pieta-
temque ſervantium, fraudulentâ cir-
cumventione, cruentâ & infandâ cujuſ-
vis ætatis, ſexûs & conditionis homi-
num variorum interfectione bonorum
direptione injuſtâ, ædium tam ſacra-
rum quam civilium, imo totius regio-
nis devaſtatione & depopulatione vere
Antichriſtianâ, triſti & univerſali ſuper-
ſtitum

ſtitum diſperſione & ſubſecuto exilio,
adeoque verâ ob profeſſionem veritatis
illis eveniente perſecutione, quæ omnes
& varias ſuperiorum temporum (etiam
tum cum nemo Principum aut nulla
Rerumpublicarum Religionem veram
publice, ut hodie & à multis annis, pro-
fiteretur, & magis impunè id hoſtibus
veritatis liceret) non uno modo ſi non
ſuperat, certe nullis, licet graviſſimis,
minor eſt. unde præter eccleſiarum o-
mnium fere in orbe reformatarum elee-
moſynas & quotidianas preces, Præpo-
tentum Ordinum noſtrorum ut & alia-
rum ſummarum poteſtatum Reforma-
tarum interceſſione & patrocinio quaſi
indigentes & tandem gaudentes, indies
in priſtinam libertatem, privilegiis va-
riis Principum ſuorum conceſſam &
ſæpius confirmatam, καὶ ἐκ τῆς θλίψεως
τῆς μεγάλης reduces quaſi reſtitui ſpe- *Apoc.*
rant. ſane Reformatarum poteſtatum VII. 14.
& Rerumpublicarum intereſt, ut hæc
quæ Waldenſibus evenerunt, ipſis ita
cordi ſint, ut eos in priſtinam liberta-
tem, reſtitui curent non modo, ſed &
diſcant & tandem credant Papiſtas da-
tam Hæreticis, quos vocant, fidem non
ſervare, ſed frangere, quoties commo-

 dum

dum ipſis videtur. Cæterum horum Waldenſium Pedemontanorum Hiſtoriam ab initio & anno 1160. quo Lugduno exire eorum patres juſſi illuc venerunt, & poſtmodum cum indigenis & antiquis Pedemontanis (quos doctrinam ſuam recipere capaces & promptos, cum jam antequam eo migrarent. certo cognoviſſent præ cæteris orbis, populis elegebant) in unam gentem & religionem coaluerunt uſque ad præſentem ferme perſecutionem qui ſcire cupit, adeat præter Iohannis Pauli Perrini Hiſtoriam Waldenſium Gallice conſcriptam & procurante magno eorundem vindice Balthazare Lydio Belgice verſam & editam ſpecialem hiſtoriam de iiſdem ſcriptam. cujus titulus eſt ſequens: *Hiſtoire Eccleſiaſtique des Egliſes reformées, recueillies en quelques Valées de Piedmont, & circonvoiſines, autrefois appellées Egliſes Vaudoiſes, commençant dés l'an* 1180. *de noſtre Seigneur & finiſſant en l'an* 1643. *par Pierre Gilles, Paſteur de l'Egliſe Reformée de la Tour. à Geneve, pour Iean de Tournes*, MDCXLIV. in 4. Hunc autem titulum hic de verbo ad verbum exhibere volui, ut ſciant Lectores,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

res, quâ linguâ & authore conſcripta
ſit Hiſtoria: item quid contineat, &
quouſque horum Waldenſium res, tum
proſperas tum adverſas, tractet. Uti-
nam, ſi non magis in his oris noſtris
nota, certe in Belgicam linguam ut illa
per Perrinum ſcripta, verſa eſſet: Ego
ſane ut non ſine luctu, ita nec ſine
fructu eam legi, ſed & prædictas Pede- *Cant.* II.
montanas Eccleſias *Roſam Sharonis* & 1,2.
alterum *Lilium convallium*, imo ſicut
Lilium inter ſpinas eſſe deprehendi. ad
hæc Eccleſiæ Dei prædictas ab eâque
perferendas perſecutiones vi fidei &
virtute Domini ſuperandas, ab illis paſ-
ſas & fortiter in hunc uſque diem tole-
ratas, ringente Sathanâ & ejus ſervo
Antichriſto Romano cum utriuſque ſa-
tellitibus Regibus & Principibus, vino
ſcortationis Babylonicæ inebriatis, &
potenti Dei manu contra ſpem ſub ſpe
ſervatas, ex ejus lectione didici: quin
& inter legendum ſæpe cum Pſalte ex- *Pſal.*
clamavi, *Multum affecerunt me angu-* CXXIX.
ſtiis inde à pueritiâ meâ, dicat nunc 1,2,3.
Iſraël: Multum affecerunt me anguſtiis
inde à pueritiâ mea; etiam non præ-
valuerunt mihi. Super tergum meum ara-
verunt aratores, produxerunt quamque

ſtrigarum ſuarum. Quare ut confido fore, ut hæc ipſa graviſſima perſecutio tandem quoque ceſſatura ſit & lætum non minus quam ſalutarem exitum habitura. Quod illis voveo & ex animo
Pſal. precor, Deum item ſupplex cum eo-
LXXIV. dem Pſalte oro *Recordare hujus; inimi-*
17, 18, *cum probro afficere, ô Iehova, & popu-*
19, 20, *lum ſtultum irritare nomen tuum. Ne*
21, 22, *tradas (iſti) catervæ vitam turturis*
23. *tuæ; catervæ pauperum tuorum afflicto-*
rum ne obliviſcaris in æternum. Intuere in fœdus: nam repleta ſunt obſcuriſſima loca terræ, caulæ (ſunt) violentiæ. Qui attritus eſt ne redeat confuſus, pauper & egens laudent nomen tuum. Surge ô Deus, age cauſam tuam; recordare opprobrii tui (quo afficeris) à ſtulto quotidie. Ne obliviſcaris vocis hoſtium tuorum, ſtrepitum inſurgentium in te, augeſcentis jugi-
Pſal. *ter.* Item: *Innoteſcat in iſtis gentibus*
LXXIX. *ante oculos noſtros, ultione ſanguinis ſer-*
10, 11. *vorum tuorum effuſi. Perveniat ante faciem tuam gemitus vincti; pro magnitudine brachii tui fac ut reliqui ſint qui jam traduntur morti*. & quæ plura ibidem in eam rem conſequuntur & alibi in Pſalmis traduntur. Quo in voto finio, & te, quiſquis es Lector, valere jubeo.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Quod ſi quem ex noſtro opere fructum percipis, mecum Deo gratias age, ſin minus, ignoſce inſcitiæ noſtræ, fave autem bono propoſito. Kerckvverviæ in Scaldia, Zelandiæ inſula percelebri. x Januarii

cIↃ IↃC LVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

IN SULPITIUM BELGICUM

Reverendi, ac Doctiſſimi Viri,

JACOBI BASELI,

Kerckvverviæ in Scaldiâ Eccleſiaſtæ.

SI quem Romanæ juvat hunc evolvere ſectæ,
Et luſtrare oculo non properante librum:
Ne trahat hunc odium Calvinæ immobile turbæ,
Neve ſuæ nimius relligionis amor.
Illic inveniet quibus olim Eccleſia terris
Debuerit varias ſuſtinuiſſe vices.
Et quæ noſtra licet cæcis Doctrina tenebris
Ediderit pretii ſigna notata ſui.
Vt quamvis volitent obſcuro nubila cœlo,
Si non læta dies, ſed tamen illa venit.
Luna ſui licet interrumpat lumina fratris,
Candidis ipſe ſuo Sol tamen orbe micat.
Sic quanquam latuit priſcis Eccleſia ſæclis,
In ſe pulchra tamen conſtitit uſque ſacris:
Quamque hodie colimus docuit paſſim omnibus ævis
Oppreſsâ quamvis relligione fidem.
Sæpe fuit denſis velut abdita lilia ſpinis,
Nobilis & turpi condita gemma luto.
Donec, ut occultus tandem magis æſtuat ignis,
Altiùs exeruit conſpicienda caput.
Donec ut evictâ nitidiſſima ſolis imago
Nube ſuo puros protulit axe dies.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Non hîc multa loquar peregrinis inclyta terris
Nomina, parva ſatis Belgica teſtis erit.
Hanc alias inter donavit lumine gentes,
Succenditque ſuas hîc Deus uſque faces.
Pleniùs hæc, Lector, Baſeli docta papyrus
Aſſerit, & varium tempore pandit opus.
Hic dum ſacrarum tentat penetralia rerum,
Et vigili ætatum diſcutit arte ſinus:
Indelibatos dat relligionis honores,
Vendicat & calamo, quam docet ore, fidem.
Hanc ad vera ſuæ revocat primordia cauſæ,
Scilicet ad Chriſti tempora priſca refert.
Hæc fuit, & rerum per tot diſcrimina vênit
In noſtros dextro Numine ſalva dies.
Quid dubitas, certo quum ſit pro teſte vetuſtas,
Et veri indubias det bene fida notas?
Iam valeant, Papiſta, tuæ nova dogmata Romæ,
Et ſacra non primis cognita temporibus.
Noſtra Patrum conſtant ſcriptis, venerare, novâque
Antiquam Chriſti concipe mente fidem.

ROCHUS HOFFERUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

In eundem.

ROma quid objectas Calvini tempore, nobis
Progenitam, tibi quę diſplicet, eſſe fidem?
Non nova, ſed vetus eſt, quam Chriſti dogmata firmant
Authorem ſatis eſt laudis habere Deum.
Si nova, Calvino non gloria prima, priores
Illo, Baſelio, Belgica, teſte, tulit.
Plurima Calvino debentur, multa Luthero.
Author ſed fidei neuter habendus erit.
Eſſe equidem fateor fidei pia lumina noſtræ,
Et tenebras ſcriptis ſæpe fugaſſe ſuis.
Non tamen illorum jurant in verba fideles,
Nam niſi teſtetur Pagina ſacra, ſilent.
Nec novitas ulla eſt, niſi quam præcepit Jeſus,
Hæc novitas planam reddit ad aſtra viam.
Hinc nova, ſi bona ſint, placeant, valeatque vetu-
Antiquum præter ſi nihil illa ſapit. (ſtas,
Crede mihi, puro venerari pectore Chriſtum,
Et non fucatâ relligione novum eſt.

Cognato & conterraneo ſuo,

L. M. Q. poſuit,

L. DE ROUCK, J.C.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Ad eundem.

BElgica libertas & relligionis avitæ
Illibata fides, intemeratus honos,
Vt ſteterint Belgis authoribus, auſpice cœlo,
Semper & in partes venerit ipſe Deus,
Belga, Dei nove præco tui, verique ſevere
Arbiter, & vindex intemerate, doces.
Relligioſe Patrum quondam, redivive character,
Tempore, vix meritis, nec pietate minor,
Vt mihi de priſcis uni ſis alter & idem,
Non mihi Baſelius, ſed Baſilius eris.

HENRICUS BRUNO.

JACO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

JACOBI BASELI
SULPITIUS BELGICUS
SIVE
HISTORIA RELIGIONIS
In BELGIO & à BELGIS
Inſtauratæ, corruptæ & Reformatæ.

Seculum I. Anno Chriſti.

TEmpore adimpleto, quod prophetarum vaticiniis præfinitum, carnem aſſumpſit humanam unigenitus, ille ab æterno Dei Patris Filius, à munere *Ieſus* appellatus hic doctrinâ ſuâ miraculis confirmata, eandem poteſtatem Apoſtolis, à ſe electis atque in mandatis dedit hanc ut per totum terrarum orbem gentibus annunciarent ita tamen ut eam Iudæis primum, quorum erant promiſſiones, & ex quibus erat ipſe ſecundum carnem, offerrent & prædicarent. Quo facto, Hieroſolymis relictis, reliquam Orientis partem adierunt. Hâc autem peragratâ, partim iidem ipſi, partim eorum diſcipuli, aliique viri Apoſtolici, quibus hanc item miraculorum edendi poteſtatem Deus conceſſerat, in Meridionales, Occidentales & Septemtrionales oras, hanc religionem, ab Authore

Matt. x. 6. Rom. IX. 4, 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ſuo *Chriſtianam* denominatam, diffundere & diſſeminare cœperunt.

Quis vero fuerit is, qui Occidentis Septemtrionali parti, inque ea Belgio noſtro, primus Chriſtum crucifixum prædicaverit, apud hiſtoriarum ſacrarum conditores certo vix conſtat. Plærorumque tamen ſententia eſt, quam & nos ut communem ſequimur, B Materno primas deberi Fuit autem hic Maternus Ticino longobardiæ oriundus, Papiæ Comitis filius. Miſſus, ſi credere fas eſt, à D. Petro. cujus diſcipulus fuiſſe perhibetur. adjunctis ei collegio Euchario & Valerio. Verum inter hos ipſos de anno miſſionis non convenit Aubertus Miræus (*a*) annum à nato Chriſto Quinquageſimum, I. Placentius (*b*) ſeptuageſimum & primum fuiſſe ſcribunt. Sunt qui ſerius miſſos, ſeu potius veniſſe putant: Amandus Zirizeenſis (*c*) Maternum anno octuageſimo quinto Tungrenſium primum Epiſcopum factum ſcribit. Lucas vero Oſiander, (*d*) Maternum Belgarum Apoſtolum fuiſſe agnoſcit, negat autem à Petro Româ miſſum, & quod longe poſt tempora me-

Seculum I. Anno chriſti.

(*a*) In faſtis Belgicis & Burgundicis.

(*b*) In catalogo Antiſtitum Leodienſium, in vita Materni.

(*c*) In Chronica 6. ætatis cap. antepenultimo Antv. 1534. in 8. (*d*) Epitom. Hiſt. Eccleſ. Cent. 1. b. 2. cap. 45. in 4.

memorata apud Germanos inventa ſint idola & culta, Euangelium non niſi tarde ad eos perveniſſe putat. Cui & hoc accedit quod C. Tacitus, accuratus juxta ac diligens ſcriptor, eo, quem de Germanorum moribus & religione ſcripſit libello nullam Chriſtianæ apud eos receptæ faciat mentionem. Præterquam enim quod Galliæ Belgicæ Procuratorem egit, eum conſcripſit aut vivo adhuc Nerva Imperatore (qui anno demum undecenteſimo & vivere & imperare deſiit) aut ſtatim ab ejus exceſſu. At vero nec ſic de anno, quo venerint primi prædicatores Chriſti, conſtat fateor equidem. Sed quis certi aliquid proferet in tanta eorum, qui temporis rationem ſupputarunt, diſcrepantia? Præſtat autem incertos relinquere authores, quam cum detrimento veritatis certò aliquid affirmare. Quo itaque ſerius adveniſſe Maternum authores dicunt, eo propius ad veritatem accedere videntur. Si enim anno quinquageſimo, vel ſeptuageſimo primo, quin imo octuageſimo quinto Germanis prædicata & accepta religio Chriſtiana fuiſſet, apud Tacitum ea de re tam altum ſilentium non extaret. Neque enim hæc illum latere potuerunt, aut immemo-

Seculum I. Anno Chriſti.

rata & ab ipſo relicta eſſent, cum Chriſti & Chriſtianorum alibi Annalium lib. XV. faciat mentionem. Sed hiſtoriæ ſeriem perſequamur, prout eam apud fide digniores ſcriptores reperiemus: hoc præfati, nos incerta & fabuloſa prioris & medii, utriuſque obſcurioris, ævi eâ narrare fide quâ accepimus, cum noſtrum vix ſit aream hanc ita purgare ut excuſſa omni ſuperſtitionis & falſitatis paleâ, ſolum triticum veritatis hiſtoricæ reſiduum maneat. cum à Philiſtæis arma pètere, ex plusquam Ægyptiis tenebris lucem eruere atque ex profundiſſimo puteo errorum & mendaciorum veritatem effodere debeamus. Freti autem Dei veracis auxilio, quod propoſitum eſt exequemur.

Miſſi (*e*) itaque Eucharius Valerius, & Maternus in Galliæ Septemtrionalis partes tandem Trevirum pervenerunt. Erant autem tum temporis ut circumvicini ita & illius loci incolæ idololatriæ prorſus dediti adeoque multorum Deorum cultores. Quibus dum unum & trinum Deum, Chriſtum mediatorem, ſui abnegationem & reliqua Chriſtianæ fidei capita prædicant, Aruſpicum & Pontificum verbis plebs concitata, lapidibus obruere ſanctos fidoſque

(*e*) Hæc ex authoribus ſupra citatis nominatim I. placentio, qui Anno. 1633. recuſus, partem præcipuam facit Reipublicæ leodienſis in 32. Amſt. apud I. Janſſonium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

doſque præcones ſatagit, Sed ut ex improviſo, ita divinâ manu impetentibus vis omnis adempta corripiebat quippe venas & nervos intolerabilis, ex eorundem convulſione dolor ita pręſenti exitio exemti. Sed & perculſi, non prius ſanitati reſtituebantur, quam dignus hic Euangelio prædicando triumviratus, juxta præceptum magiſtri, jubentis ſuos orare pro iis qui ipſos perſequuntur, interc eſſione ſuâ Dei depre- caretur & averteret iram. Quo miraculo edito (nam ab iis initium docendi fecit ipſe Dominus, iiſdemque confirmare doctrinam ſuam voluit, ubi autem plenitudo gentium acceſſit gremio matris Eccleſiæ, paulatim deſiere illa. adeo ut qui Miracula nunc & a multis ſeculis petat ipſe miraculum nonnullis dicatur) Aurelius Auguſtinus lib. XXII. cap. 8. de Civitate Dei: *Quiſquis adhuc prodigia ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* tanta his Apoſtolis acceſſit claritas, ut continuo iidem illi idololatræ baptiſmum quærentes, eo tincti ſint adeoque Chriſto inſerti. Et ne ad priſtinum, tanquam canis ad vomitum, laberentur errorem Eucharium ſibi Epiſcopum conſtituunt Trevirenſes. Hujus reliqua

Seculum I. Anno Chriſti.

Matth. v. 45.

Joh. II. 11.

acta commemorare, non eſt noſtri inſtituti. Mortem ejus hic refero, quia in epiſcopatu ſucceſſor Valerius Materno poſt obitum ſedem & curam reliquit. Vitæ itaque finem impoſuit B. Eucharius anno a partu virginis ſeptuageſimo quinto. Succeſſor ejus B. Valerius quinque ſupra decem annos Eccleſiam Docuit in cujus locum ſucceſſit B. Maternus anno nonageſimo, & tertius Trevirenſium conſtituitur Epiſcopus. Poſt decem annorum ſeriem centeſimus ſalutis, primus autem ei, fuit ex quo Colonienſem inſuper adeptus Epiſcopatum Bonnæ & Aquiſgrani ſalutem annunciavit. hinc Vero trajectum ad Moſam, olim Betaſiorum dictum, appulit, inde Tungaris lætum ſalutis attulit nuncium qui læti eum in primum Epiſcopum aſſumpſerunt ſecundi ſeculi anno primo.

Fuit autem Tungrenſium civitas ab eo tempore Epiſcoporum ſedes (qui præter Tungrenſes. Trevirenſes & Colonienſes ſimul regebat (*f*) donec, anno ſupra tertium ſeculum vigeſimo, mortuo Valentino, Tungrenſium & cæterorum Epiſcopo, ſede per ſeptennium vacante (& facta ſeceſſione, Trevirenſes ſine Epiſcopo & paſtore ad priſtinam Idolo-

LXXV.
XC.
C.
Seculum II. Annus Chriſti CI.

(*f*) I. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad 14. Septembris referens natalem Materni arbitratur eum non præfuiſſe tribus Epiſcopatibus diſtinctis.

Seculum II. Anno Chriſti.

Idolotriam delapſi Colonienſes vero Euphratem ſibi aſſumunt, quem tamen poſtea, quia Arrii veneno infectus, loco moverunt) tandem in B. Servatium Epiſcopalis dignitas conferretur. Qui ſub vitæ finem hanc Trajectum ad Moſam tranſtulit ultimus Tungrenſium primus Trajectenſium fuit Epiſcopus. Sed & ſedes hinc Leodium tranſlata ab Huberto, anno poſt ſeptingenteſimum primo, ubi & impræſentiarum eſt; ſed fœdis conſpurcata erroribus, nec ſibi ſimilis, multumque à priori diverſa: adeo ab antiquâ & verâ deſcivit religione Verum temporum ſequentium ratio hæc clarius docebit.

Nunc de Tungarorum nomine pauca dicam. Hi primum Germani vocati, poſtea ob probatam in bello virtutem nomen nationi ſuæ peculiare, in omnes gentis ſuæ populos, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios, Batavos Cattos &c. transfudêre, iiſdem commune fere reſervato, ſibi Tungrorum nomine (g) urbs ipſa inter Eburonum & Leodio vicinas civitates præcipua & quaſi caput erat ſita cis rhenum & Moſam, ad Jecovam fluvium qui juxta Trajectum in Moſam fluit. Haſbaniæ autem

(g) *Tacit. init. German. Cæterum Germaniæ vocabulum recens eſt & nuper additum. quoniam qui primi Rhenmu tranſgreſſi Gallos expulerint ac nunc Tungri tunc Germani vocati ſunt* cujus loci, genuinum ſenſum vide in obſervationibus. Viri Celeberrimi M. Z. Boxhornii ad Corn. Tacitum pag. 57. ex edit. Janſoniana, Anni 1643.

tem pars ipſa, diſtat Leodio trium Leucarum intervallo, & totidem Trajecto. olim etiam octavia dicta forſan ab octavio Auguſto hoc nomen ſortita. Hodie ibi nihil præter rudera priſtinæ gloriæ & felicitatis videre licet. Quæ porro ad Tungrorum originem ſpectant Guicciardino & ortelio, ſcriptoribus accuratis, aliiſque memorata: quare iis referendis ſuperſedeo, ad hiſtoriam revertens.

Seculum II. Anno Chriſti.

Maternus ergo dum Eccleſiæ ſibi commiſſæ præeſt, nihil non molitur ut populum erudiat, atque etiam vicinis gentibus Euangelium prædicet. Et ne quid poſt obitum ejus Eccleſia detrimenti capiat diſcipulos non paucos aſſumpſit pariter & inſtruxit quorum facile principes fuerunt Johannes cognomento Tungarus. & Navitus. Prima, quam ab accepto Epiſcopatu adiit, fuit civitas huyenſis, *hoy* noſtratibus appellata, Hanc & leodium inter quinque milliarium ſpatium intereſt. Nec fruſtra illa prædicatio inſtituta. Populus quippe hâc ad rectum Dei veri cultum converſus, omnem Dæmoniorum abjecit. Sed an ſequenti anno ſc. ſecundi ſeculi & arrepti Epiſcopatus anno item ſecundo, ad (*h*) *Montis umbraculum*, quem

(*h*) ita I. Placentius in vita B. Materni cit.

quem *Moſa alluebat*, *ædem Virgini ſacram* dedicaverit; iidem illi qui ſcripſit probandum relinquo. Quod affirmare eo tutius licet, non ſolum quod ædes virgini aliiſque ſanctis dicare incognitum tum adhuc fuit quodque fideles tum in antris *ſylvis* aliiſque abditis locis propter convenerint, perſequutiones, (*i*) ſed & quod apud H. Coſterium oratoriorum quidem ab ipſo fundatorum deprehendam mentionem, nullam, autem, quod virgini aut alicui Sancto ſit dicatũ Cęterum erat per idem tempus S. Mennius, Catalenſis antiſtes B. Materni in prædicando Euangelio collega, & forſan in eo addiſcendo condiſcipulus. (Nam placentius ſæpe memoratus utrumque è ſeptuaginta Chriſti diſcipulis fuiſſe arbitratur ego omnes illos tum diem ſuum obiiſſe non dubito) hi autem dum invicem videndi deſiderio tenentur, Maternus Dionantum, *Dynant* noſtrates vocant, proficiſcitur. Quo in loco gentilium more Idolo divinus exhibebatur cultus: quem illi ſolo Deo vendicantes, id adoriuntur in pulverem convertunt. Eâ virtute exhibitâ populus terrefactus, Chriſti baptiſmum in ſe conferri cupit. Et quod inſuper tum temporis ibidem

XCII.

(*i*) *Hiſtorie van Oudheyt des Catholijcken geloofs in deſe Belgiſche Nederlanden van Apoſtels tyden af tot den Iaere 1591. begoſt by I. Andries heynshelmans volmaeckt by H. Coſterius paſtor onſer L. vrouwe t'Antwerpen. opt Iaer 1591.*

Seculum II. Anno Chriſti.

conſuli ſolebat oraculum, ob Materni præſentiam à reſponſis ceſſaſſe ſcribunt, ita *Mutum*, dictum, ante *Nam* vocabatur: unde & quidam *Namurcum* dictum putant. Cæterum B. Maternus nullam intentatam relinquens gentem Cynei multiſque aliis Dionanto vicinis locis Chriſtum prædicavit. nec ſine fructu quamplurimos enim in Chriſtianæ Eccleſiæ gremium adduxit. Annus jam
CXXX. erat ſupra primum ſeculum trigeſimus, cum, inſtare ſibi ultimum diem ſentiens, corpus in Trevirenſi Collegarum ſuorum ſepulchro recondi jubet, Deo autem animam reddit. atque ita primus ille Belgarum Apoſtolus vivere pariter & prædicare deſiit, Coloniæ ubiorum. Placentius addit contentionem magnam ortam inter tres illas Eccleſias, quarum curam vivus geſſerat, quæ ſingulæ doctoris patriſque ſui corpus ſervare ſtudebant. Quod ſi verum, parum obedientes fuerint, extremis Materni verbis. Sed ego. vix adducor ut credam: multo minus litem illam non niſi inito concilio dirimi potuiſſe, quo, non de lanâ caprinâ, ſed de pelle humana actum, tandem convenit inter omnes. *Corpus Rheno inijciendum. Et ſi abnitente*, ſunt authoris verba, *etiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

gurgite tranaret, aſſignaretur Trevirenſibus, ſi inferne laberetur. Tungri auferrent; ſin perſtaret Colonia indubitata maneret hoſpita illud autem aquis injectum *præter naturam ſtridulis obniſum eſt procellis, & recta Trevirim adnatavit.* Credant hoc, & item illud quod de eodem jam ante per quadraginta dies in Galliis mortuo, ſed tamen verbis Petri in Italia agentis reſuſcitato narrat idem Placentius, (*k*) hoc, inquam, credant illi qui falſa veris & vera falſis miſcent non ſolum ſed & vix credibilia, dummodo ipſis profutura putant, ſcribunt & audiunt, & quia miraculis delectantur, fingunt talia accidiſſe, quæ nulli bono eſſe potuerunt. Nobiſcum autem aliter comparatum eſt, quippe ex verbo Dei edocti de vero miraculorum uſu, duratione & neceſſitate. & ut vera non negamus, ita falſa non admittimus: & maluimus doctores veridicos, licet non edant ſigna, ut de Johanne Baptiſta ſcriptum eſt, quam præſtigiatores, qui falſis miraculis cum Simone Mago, obſtupefaciant & ſeducant gentes.

Seculum II. Anno Chriſti.

(*k*) idem ſcribit Amandus zirizeenſis loc. ſupra cit: ſed ex eodem fonte credulitatis nimiæ ne quid majus dicam, cum Placentio bibit.

Ioh. x. 41.

Nunc de Materni ſucceſſione dicendum fuit is B. Navitus, quem inter cæteros diſcipulos ejus nominavimus. Cujus

Act. VIII. 9.

jus hiſtoriam, ut & ſequentium Epiſcoporum Tungrenſium deſcribere non alienum erit ab inſtituto noſtro. Et quidem eouſque dum ſe offerat aliquis qui aut his aut aliis ſeſe oppoſuit. Nam certo certius eſt Eccleſiam diu virginem, ut inquit ille, non manſiſſe, ſed tractu temporis ſenſim paulatim, tum inconſiderato zelo, bono quidem fine, ſed aut malo medio aut inſperato ſucceſſu tum etiam malitiâ & ſeductione Satanæ (ſicut olim Evam Calliditate ſuâ, ita & tum à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Epiſcopos ſeducentis corruptam ab eo etiam imò præ cæteris quem, cum ſe ſummum Epiſcopū & Chriſti in terris vicariū venditet, vel eo ſolo nomine minimè decet. Qui non contentus concontemeraſſe propriam & vicinas Eccleſias, adeoque maximam occidentis partem quaqua verſum errores per emiſſarios diſſeminando recipi voluit. Quare & Belgium noſtrum liberum ab illius erroribus eſſe nequit. fuêre tamen quâvis ætate fideles & pii viri, qui aſſenſum iis haudquaquam prebuêre. Et horum nonnulli publice id quidem profeſſi: quarum tamen hiſtoriam, imò nomina nos poſteri ignoramus: Nonnulli ut publice veritatem docuerunt, ita

Seculum II. Anno Chriſti. 2. Cor. XI. 3.

ita licet adverſariis aut incogniti ſint aut maledicti, nobis tamen noti & laudati quin imò in benedictione eorum memoria conſervatur. Sed & dubitare nefas eſt, quin fuerint qui, quanquam ſeſe non manifeſtaverint neque publice oppoſuerint tamen Baal non litaverunt. Atque tales ſunt membra inviſibilis illius Eccleſiæ quam nos continuâ nec interruptâ ſucceſſione & ſerie ex quavis gentium natione ab Abele in hunc uſque diem congregatam, & ad finem mundi congregandam, ex verbo Dei docemus cujus veritas vel ex ſola Heliæ hiſtoria patet. 1. Reg. XIX. 10. & 18. cum. Rom. XI. 31. 45.

Nunc ad hiſtoriam Redeamus. Navitum Materno ſucceſſiſſe ante memoravimus, quem cum fide & ſanctitate multum præſtare, quin imo ſibi non diſſimilem ſciret; jam jam moriturus Maternus commendaverat. Nec ipſe, quanquam illuſtri loco natus, quippe Galliæ cujuſdam ducis filius, & Tungrorum Reguli ex fratre nepos, accipere renuit, & ſtatim Epiſcopatus honorem onuſque in ſe ſuſcepit, & cum rhedâ vehi poſſet pedes Euangelizavit non ignarus humilitatem Chriſti præconem decere pariter & commendare. jactis autem a Materno fundamentis do- Seculum II. Anno Chriſti.

mum

mum Dei ſuperſtruxit converſis confirmandis potius quam non converſis prędicandis intentus. Quod præterquam è re Eccleſiæ ſibi commiſſæ procul dubio rebatur, ita minus licebat per Treverenſium defectionem qui ſive odio in Navitum, ſive à Sathanâ ſeducti curam ejus renuebant. Sed malo huic fortiter prudenterque adeo obviam ivit, ut multorum animos pœnitentia malefacti inceſſeret, ita priſtinæ ſanæque doctrinæ reſtituti, ipſe diuturnâ pace & magnâ fide Treverenſem & cæteras eccleſias rexit, donec anno centeſimo nonage-
CXC. ſimo ex hac in beatam migrans vitam Marcellus Tungarus curam Eccleſiæ in
CXCI. ſe ſuſcepit anno ſequenti qui quorum ſucceſſor erat, eorum veſtigiis inſiſtens vicinam quamque adiit provinciam, viſitans fratres & in fide confirmans. Sed cum non uni loco ſe addictum ſciret Britanniam inſuper petiit, & quem omnes ſequuntnr vulgo Provincię iſtius Principem, Chriſto lucrifecit Docuit & gubernavit Eccleſiam annos viginti novem.

Seculum III. Anno Chriſti. CCXX. Hic ſalutis erat ducenteſimus & vigeſimus, quo diem obiiſſe & Tungris ſepultus eſſe traditur. Poſt hunc Metropolus anno ſequenti creatus Epiſcopus
CCXXI. novem ſupra annos decem pari vitæ ſancti-

ſanctimoniâ præfuit. Ita annus ſupra ducenteſimum nonum, ultimus vitæ ipſius fuit. Dehinc Severinus, Meſſeronis, Comitis Lovanienſis filius, Eccleſiæ curam, iis ita poſtulantibus, penes quos vocandi poteſtas erat, in ſe recepit, eamque quatuordecim annis rexit huic proximo à morte anno Florentius ſuccedens, duodecimo fidelis adminiſtrationis anno inter vivos eſſe deſiit, qui erat currentis ſeculi ſexageſimus ſecundus, & Tungris, apud prædeceſſores ſuos, ſepultus: quorum facta paucis complexi ſumus, quoniam nihil aliud niſi prædicatam à Materno veram religionem confirmarunt. Florentium Martinus Diaconus, Comitis Namurcenſis filius excepit hunc quidam ejus nominis II. vocant quippe præter quatuordecim alios Martinum quendam inter Maternum & Navitum, ſupra memoratos Epiſcopalem curam ſi non Tungrenſis, ſaltem TrevirenſisEccleſiæ, geſſiſſe ſcribunt. Itaque Martinus hic quem nos poſt Maternum Tungrorum ſextum Epiſcopum fuiſſe diximus ſecundum illos vigeſimus ſecundus eſt. Sed tamen pleriq, authores hanc quam inſtituimus rationem non excedunt. Magnum hunc Epiſcoporum nume-

rum

CCXXXIX

Seculum II. Anno Chriſti. CCLIII.

CCLXII.

CCLXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

rum ex Johan. Enen & Joh. Schecmanno tranſcribit Wilhelmus Kyriander (*l*) Syndicus, Trevirenſis, & nos ex eo. Quorum quidem nomina ordine poſita hæc ſunt poſt Maternum Auſpicius, deinde Celſus, exin Felix, Manſuetus, Clemens, Moſes, Martinus I. Anaſtaſius, Andreas, Ruſticus, Auctor, Fauritius, Fortunatus, Caſſianus, Marcus Navitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentinus, Martinus II. (de quo nunc ſermo) Maximinus, Valentinus, ab Euchario (qui primus, & ante Valerium, qui ſecundus, poſt quem Maternus) Trevirenſium vigeſimus ſextus Epiſcopus. Qui quidem Epiſcoporum numerus ut ut à kyriandro prolatus, non tamen ipſi probatur; imprimis quod ſcribant Enius & Schecmannus, poſt Valentinum annis novem vacuâ ſede Epiſcopali, tandem Agritium, Antiochenum Patriarcham, à Sylveſtro Pontifice Romano cum Primatus & Archiepiſopatus titulo, miſſum fuiſſe; ut & ſuo loco plenius dicetur.

(*l*) Annal Auguſtæ Treverorum parte III. In fol. 1603.

Seculum III. Anno Chriſti.

Hic ergo Martinus, ut unde digreſſa erat revertatur oratio, quod in Hasbania zizaniæ Idololatricæ reliquum erat prorſus extirpavit, unde & Hasbaniæ Apoſtolus peculiari nomine vulgò appella-

pella-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

pellatur. Contigit autem huic quod iis plerumque evenire ſolet qui vitia hominum non odio ſeu vero in illo, amore inſectantur. Nam cum in pago quodam, cui *Herion* nomen, id factitaret, ruſtici id ægre tulerunt. quare cum Sacerdote hoc litigantes, mortem ipſi intentarunt ille autem fugâ vitæ conſulere coactus eſt, Ædes autem in quibus tutò ſæpe latere licet, quas clam intrarat innocentum hunc protegere nequiverunt proinde in ſylvam ſe recepit, atque ita exitio ipſi deſtinato exemtus. Vix undecim (*m*) annos Eccleſiam adminiſtravit, cum diem ſuum obierit, anno tertii currentis ſeculi ſeptuageſimo ſeptimo. quo eodem declaratus Eccleſiæ octavus Antiſtes Maximinus qui patre quidem Pagano, eodem nomine, ſed matre, cui Helnia nomen, Chriſtianâ natus à quâ ſacris innutritus, iis ſe penitus dederat. Doctoris & Decani titulo inſignitum ſcribit jam ſæpius memoratus Placentius. Doctoris nomen notum quidem in Eccleſia a tempore Apoſtolorum, nondum, tamen innotuerat mos doctores creandi, multò minus *Decanatus* & nomen & officium illi autem doctores erant, qui Chriſtum prædicabant docentes alios doctrinam de Chriſto, &

(*m*) Amandus zevizeenſis ſcribit ſediſſe annis novendecim pag. 56. CCLXVII

Eph. IV. II.

verum

Seculum III. Anno Christi. verum ſcripturæ ſenſum tradentes quo dono forte excellebat, unde non Decanum, ſed *Doctorem & Theologum* eum
(n) Amandus ziri-zeenſis pag. 5. b. vocat Amandus (n) nec immerito. Sic enim ſubjungit Placentius, *Chriſti Euangelium impræ termiſſe complectens & legitimo ſenſu penetralia depromens corda charitate flagrantia animoſus in cælum intendere ſollicitavit* Atque vel hinc nondum plane corruptam Eccleſiam fuiſſe colligimus, neque obtinuiſſe ſacrilegium quo S. Scripturæ lectio populo vetatur & Jejuna meris allegoriis conſtans ejuſdem interpretatio proponitur, quod Papatus inter cætera proprium do-
2. Theſſ. II. 7. gma eſt. Et tamen Myſterium illud iniquitatis, jam tempore Pauli operari cœptum, vires & incrementum ceperat. Cæterum Maximinus poſt tredecim (ſecundum Amandum novemdecim) annorum curam vitam finiit. Poſt hunc
ccxc. ſucceſſit Valentinus anno ducenteſimo nonageſimo: cujus ſumma authoritas & in dicendo gravitas memoratur. Quo Epiſcopatum tenente nova univerſalis, quidam decimam vocant, Chriſtianorum accidit perſequutio, eaque non paucorũ dierum aut menſium, ſed decem annorum, Diocletiano & Maximiano imperantibus. Quibus quidem in animo erat

Chri-

Chriſtianorum nomen penitus tollere, ſed aliter evenit Deo ita diſponente & è malo bonum operante. Haud aliter quàm cum hieroſolymis olim Chriſti diſcipulis tutò eſſe non liceret, iis relictis religionem diſſeminarunt, & quod ab hoſtibus eradicandæ religioni deſtinatum, ei augendæ, promulgandæ & firmandæ aptum fuit. Paſſim ergo hoſtes Euangelii fideles ſunt perſequuti, præcipue in Italiâ degentes. Quorum pars vitam amittere maluit, quam Chriſtum negare, pars quod ad honorem martyrii Vocata non eſſet, ſed ad onus Eccleſias plantandi conſtituendi & regendi, patriâ relictâ eo ſe contulit, ubi ſi non tutius ſaltim diutius vivere & fructuoſius docere liceret.

Act. VIII. I. & XI. 19.

Seculum III. Anno Chriſti.

Ergo in exilium ire juſſi, (*o*) non à Papâ, miſſi Quintinus Ambianum, *Amiens.* Gallis Picardorum, Regulus Sylvanectum, *Senlis* vulgò, Suſcianus & Victorius vernanam Morinum *Teroane* vulgò, Ruffinus & Valerius Durocottorum, *Rheims* vulgò: Piatus, Chryſolius & Eugenius Tornacum Nerviorum (*doornyck* vulgo) Chriſtum prædicaturi venêre. Ecce magnæ meſſis conſimiles operarios! Ex his Piati, Chryſoly & Eugenii facta moreſque poſteris tra-

(*o*) *Henr. Coſterius Hiſtorie vande oudtheyt des Catholycken geloofs &c. opt Iaer* 289.

trademus: Non quod cæteri ad nos non ſpectent, ſed quod ii manifeſta ſatis & ſucceſſionis & orthodoxias nobis præbeant documenta.

Seculum IV. Anno Chriſti. CCC.

Quibuſcum initium facimus ſeculi quarti. Piatum autem ut ab hoc ordiamur, quod ſpectat, fuit is Beneventanâ Italiæ Provinciâ Claris ortus parentibus: quod multorum teſtimoniis probat Johannes *Couſin*, vulgo Cognatus Canonicus Tornacenſis (*p*) quem nos in hiſce ſequuti ſumus. Antequam autem Tornacum veniret Carnoti (*Chartres* Gallis) prædicare cœpit Chriſtum. At verò apud Carnotenſes, ſive quod jam à Saviniano & Potentiano primo ſeculo converſi, ſive quod qui ſuper erant Gentiles, corde indurato, indociles & inexorabiles eſſent, non diu ſubſtitit. Quare Tornacum ſe contulit ubi majori fructu Chriſtum docuit, adeoque hæſit. Quem autem reſipiſcentiæ prædicabat baptiſmum Irineus, (unde ortum ſuum refert Eleutherius, Epiſcopus Tornacenſis) è civibus facile princeps primus petiit, eodemque tinctus eſt. Tunc multi alii ſtatim ſequentes, miraculis editis, in fide confirmabantur. Ita in juſtum numerum aucti Irinæi ædibus pro templo utebantur ſacris operam daturi.

(*p*) *Hiſtoiré de Tournay lib.* 1, *Chap.* 12. *in* 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

turi. Sed & hic Diabolus ſeſe oppoſuit Ricτiovarius quippe, Nervio limiti Cæſaris nomine Præfectus, hos inſectatus. Jam Tornaco cum Irinæo aliiſque Chriſtianis profugum Piatum Lictores cœperunt, vinctumque traxerunt. cum multi utrimque ſermones habiti eſſent, tandem Piatus fidei ſuæ loquebatur confeſſionem quam ex ſermone Gallico latinam factam adjicere (q) non alienum erit ab inſtituto noſtro. Ita autem ille, *Deus Pater, qui non eſt genitus, Deus filius unicus, procedens de patre ſolo, Deus Spiritus Sanctus, procedens de Patre & filio, tres perſonæ ſed una ſubſtantia, quæ non habet initium neque finem, fundavit terram ex ſuâ ſapientiâ, ſtabilivit cælos ex ſuâ prudentiâ, creavit hominem ad imaginem ſuam, & ipſi dedit poteſtatem ſuper omne id, quod eſt in terrâ & aquâ. Sed homo mox à creatione ſeductus à Diabolo, & propterea miſſus ſub jugum peccati à quo ut liberetur filius Dei in mundum veniens ex virgine immaculatâ aſſumpſit naturam humanam, integram & ſine labe peccati, voluit crucifigi & mori, ut deciperet (r) Diabolum, authorem mortis & redimeret hoc modo hominem, quem ſeductor fefellerat. Ecce vera fides, quam quicumque ſervabit, & baptizatus erit,*

Seculum IV. Anno Chriſti.

(q) *Chap. 13. du meſme livro & Hiſtoire.*

(r) in textu Gallico legitur. *pour decevoir.*

(ſ) Hæc ex breviario tornacenſi & Collegio Secclinienſi excerpſit idem Author & Cap. 14. ſeq. exhibet.
Seculum IV. Anno Chriſti.

erit, ſervabitur; quicumque non ſervabit, condemnabitur. Et cum ad ſupplicium duceretur, ita porro locutus fertur: *Laudo, Glorifico, invoco adoro, precor Dominum Ieſum Chriſtum, qui me dilexit & ſe ipſum tradidit pro me. Ille mihi erit redemptor & ſalvatos, veniet confeſtim, ut me coronet.* (ſ) Ubi autem in utraque hac confeſſione Sanctorum, ubi meritorum, niſi ſolius Chriſti, ubi verò miſſæ quam celebraſſe eum ſcribit (ſed non probat, cum probari nequeat miſſam a quoquàm tum celebratam, multò minus a Piato) ubi Papalis poteſtatis, ubi reliquorum Romanæ hodiernæ Eccleſiæ errorum & commentorum, quæ in mortis articulo adhiberi volunt, puta crucis ſignum &c, ubi inquam horum mentio? Quis jam amplius credat illis, qui ne ſibi conſtarent hæc protulerunt. Ubinam hodie illa Piati fides & relligio? quam nec habent nec ſequuntur qui de illa gloriantur. Neque enim de lapſu & corruptione hominis, de certitudine ſalutis, de neceſſitate baptiſmi; de tranſitu immediato nec impedito aut remorato per mortem in vitam ita ut ille confeſſus eſt, docent & loquuntur. Atque ita Piatus in hac Belgii parte primus martyr

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

tyr fuit cujus equidem memoria tanto ſanctior nobis eſſe debet, quanto purior ejus doctrina & plures Chriſto lucri fecit. Sunt qui triginta millia virorum ab ipſo converſa ſcribant: alii hunc numerum augent fides penes lectorem eſto, hoc addito, quod etſi incertum puto quot ipſius prædicatione ad fidem converſi ſint, tamen haud dubium eſſe quin multos in viam ſalutis & vitæ æternæ duxerit. Cæterum idem Author (*t*) cognatus ex antiquitate deſumptis nec contemnendis documentis probat, Piatum in prædicando Latino ſermone fuiſſe uſum. Quod ut non negamus, ita ex hoc aliiſque hujuſcemodi exemplis colligere, Sacra latino ſermone apud quaſvis gentes peragenda eſſe, admodum infirmum putamus. Romana quippe lingua vulgaris tum erat adeoque nota & intellectu facilis iis, qui quamquam ipſi Quirites non eſſent, eorum tamen Socii erant aut Provinciales, ut ibidem ipſe Cognatus fatetur. Decreſcente vero & labefactato per Barbaros imperio Romano, ea non ita vulgariter nota fuit, adeoque non utenda in Sacris. Sed hinc obſervare licet unde initium ceperit uſus Sacra Latine adminiſtrandi. Quia ſcilicet quod primo notum

(t) *Chap.* 17. *liv.* 1. *l.*

Seculum IV. Anno Chriſti.

tum fuit, ubi ignotum factum non abolitum, ſed male reſervatum: adeo ut olim quæ apud multos verba & orationes habitæ latine quidem, ſed ob cognitionem linguæ, etſi non vernaculæ, omnibus intellectæ, nunc coram eâdem dictæ Barbaræ ſint, & minus notæ.

Nunc de Chryſolio breviter dicamus. Is cum Piato, Præſbytero & Apoſtolo (nam Epiſcopum Tornacenſium non fuiſſe multi apud Cognatum (u) ſcribunt & probant, eo quod gentibus convertendis venerat, Eccleſias conſtiturus novas, non recturus conſtitutas) ſimul venit, ut ante monuimus, & primus Tornacenſium conſtitutus eſt Epiſcopus. Armeniæ illuſtri familia oriundus ei ſumma cum poteſtate præfuiſſe dicitur. Ad Chriſtum converſus & fervente ſub Diocletiano perſequutione, ſolum vertere coactus, cum reliquis in Galliam Belgicam venit. Cujus autem in prædicando Euangelio ſocius erat, ejus & in Martyrio fuit; nam circa idem tempus ab iiſdem militibus verlegemi, (x) prope inſulas flandrorum capite privatus vitam finiit.

Sed Eugenii, qui & Eubertus nominatur, & nobis hoc loco memorandus hiſtoriam videamus. Is nobiliſſimâ Ro-

(u) *Chap. 19. ſuivant.*

(x) H. Coſterius lib, cit. ad annum 289. ſcribit ipſum Comeneæ ad Liviam Martyrio affectum & ſepultum eſſe.

Romanâ familiâ oriundus omnes mundi delitias ſprevit, & nobilibus hujus ſeculi multum diſſimilis cum ſupra nominatis Tornaci & Siclinii fidem annunciavit. Non autẽ Martyrio affectus, ſed è re Eccleſiæ Deus hunc ſuis incolumem ſervavit quos confirmare voluit præcedentium Martyrum conſtantiâ, & hujus Confeſſoris voce vitæque ſanctitate: qua tamen non longo tempore iis frui licuit, eodem quippe anno Seclinii placide in Domino obdormivit.

Seculum IV. Anno Chriſti. CCCVIII.

Hæc omnia, ut ad Valentinum Tungrenſem revertamur, ipſo Epiſcopatum gerente acciderunt: Mortem autem ejus ſcribunt incidiſſe in annum octavum ſupra trecenteſimum (*y*). A quo mirum quoddam traditum ferunt mandatum, quod Placentius his verbis exprimit, *Ne quis unquam pedum, quod ante omnium oculos ſacræ aræ imponebat, ullâ fretus audaciâ illinc auferret, quouſque à Deo Opt. Max. in hoc deputatus ad veniſſet ſucceſſor.* Amandus autem ſic ſcribit *Valentinus Moriens anathemizavit illum qui poſt ipſum baculum Paſtorale, Eccleſiæ Tungrenſis, ſuper altare poſitum, ſuſcipere præſumeret, niſi à Deo miſſus & directus*, addit *& ſic vacavit ſedes annis ſeptem.* nos, id paulo ante etiam diximus.

(*y*) H. Coſterius ad annum 320. refert. Placentius 18. annis præfuiſſe ſcribit Amandus 7. tantum

Mandatum hoc imò obedientia mandati, non parum Eccleſiæ Dei nocuit. Oves quippe ſine paſtore non ita diſperguntur, ac quidem Eccleſia, Epiſcopo carens. Tungrenſis, Trevirenſis, & Colonienſis, tres illuſtres Eccleſiæ, paſtore deſtituebantur. Colonienſes ergo peculiarem ſibi conſtituebant Epiſcopum, Effratem, vel ut alii legunt Euphratem nomine. Quia autem Arrii veneno infectus & ſibi & ſuis noxius, deprehendebatur. tandem loco motus à Servatio Trajectenſium Epiſcopo, dato ipſi ſucceſſore Severino. Trevirenſes autem vagi inſtabiles & ſine paſtore ad præteritam labebantur Idololatriam. edito exemplo, deficere populum ubi viſio ceſſat. Tandem ab Agritio quodam anno trecenteſimo trigeſimo tertio ad verum Dei cultum reducti, à quo tempore peculiarem Epiſcopum habuerunt qui nunc & à multis annis Romani Imperii Septemvir, ut poſtea dicetur.

Prov. XXIX.18.

Seculum IV. Anno Chriſti.

Sed in tranſcurſu de Agritio hoc paucis dicendum. Qui primum Antiochenus Patriarcha, dein *inſtantibus* (z) *apud Sylveſtrum Pontificem Romanum D. Helena Auguſta, ejuſque filio Imperatore Conſtantino Magno, cum Primatis & Archiepiſcopi titulo, ſequentibus litteris* munitus,

(z) Hæc verba G. Kyriandri, ita lib. cit. part 3. ex Enio & Schecmanno ſcribentis.

nitus, Trevirim venit: *Sicut in Gentilitate propriâ virtute ſortire & nunc Trebir Primas, ſuper Gallos & Germanos Prioratum, quem tibi præ omnibus harum gentium Epiſcopis in primitivis Chriſtianæ religionis Doctoribus Sanctis, per Eucherium Valerium ac Maternam ac per baculum caput Eccleſiæ Petrus ſignavit habendum, ſuam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Sylveſter, ejus ſervus ſucceſſioneque indignus per Patriarcham Antiochenum renovans confirmo, ad honorem Patriæ Dominæ Helenæ Auguſtæ, Metropolis ejuſdem indigenæ, quam ipſa fœlix per Apoſtolum Matthiam Iudæa tranſlatum cum tunicâ & clavo Domini & dente S.Petri & capite Cornelii Papæ cæteriſque reliquiis ditavit, ſpecialiterque provexit. Hujus privilegii conſcii nocivi æmuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur.* Hactenus diploma cujus compendium habes in ſequenti diſticho, quod ex Brunonis, octuageſimi Trevirenſium Epiſcopi, geſtorum Scriptore refert & addit ibidem Kyriander.

Sume Prioratum poſt Alpes Trebir, ubique.
Quem tibi Roma novâ lege dat & veteri.

De quo diplomate & totâ rei hiſtoriâ, quia non ſine ratione dubitat, Papam quoque Romanum authoritatem Prioratum tribuendi tum temporis nondum habuiſſe probat, non abs re facturum me exiſtimo, ſi ipſius verba hic referam. Sic autem ille ibidem: *Sed & Prioratus huic ſeu Primatis titulo ſcrupulus inſignis ineſt: quod ipſi Pontifices Romani ante Phocam, Anno Chriſti demum 611. cæſum tali jure vel titulo potiti non ſunt, eoque minus alicui Provincialium Primatum ſuper alios Epiſcopos & fratres tribuere vel confirmare potuêre. Divi Ambroſii temporibus, ob illius inſignem authoritatem, ſatis conſtat illuſtriorem in Italiâ Mediolanenſem Epiſcopatum fuiſſe Romano. Quamobrem & in Aquilejenſi Concilio univerſali præfuit Divus Ambroſius. Haud diu poſt in Carthaginenſi Concilio vetitum eſt, ne quis Princeps Sacerdotum vocaretur, aut Primus Epiſcopus. Divus Hieronymus in Epiſtolâ ad Euagrium de Romano Epiſcopo, Si authoritas, quæritur, inquit, Orbis major eſt urbe, &c. ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſiuve Conſtantinopoli, ſive Shegii, Ejuſdem meriti eſt ejuſdem Sacerdotii.* Quod illuſtre hominis Germani pro veritate eſt teſtimonium cui

Seculum IV. Anno Chriſti.

addi

addi poteſt, quod paulo ante hæc, *Petrum nunquam Romæ fuiſſe* diſertis verbis ſcribat.

Sed pergamus Tungrenſes, ut ad hos revertamur, quanquam ſine paſtore, in fide manſerunt, obſequenteſque mandato Valentini, pedum non abſtulerunt Tandem Servatium nacti Epiſcopum, & paulatim à priſtinâ deficientes caritate, eo modo ſedem Moſæ trajectum transferri meruerunt.

Verum de Servatio alii, nominatim Sulpitius Severus Servationem vocant & nomen obtinuiſſe putat Placentius, à cuſtodia Sepulchri Domini, quæ Hieroſolymis ipſi commiſſa eſſet, pluribus agendum, non quidem quantum de eo ſcriptum invenimus, ſed quantum inſtituti ratio permittit. In hunc autem Epiſcopalis cura delata eſt, anno ſeptimo à morte Valentini partæ ſalutis decimo ſexto, ſupra trecenteſimum. De hoc magnâ admodum diſcrepantiâ authores ſcribunt. Quod & nos nihil certi adfirmare facit. Plurium tamen conſenſum ſequemur. Hunc igitur Armeniorum nobiliſſimo ſanguine oriundum, Hieroſolymis tum temporis agentem, ætate ad ſenium vergente, juſſu Angeli Tungrim miſſum ferunt. Seculum IV. Anno Christi.

Advenit autem ea ipsâ horâ quâ primores de ſucceſſore, pertæſi tam diu eo carere agebant. Itaque Angelus pedum auferens Servatio tradit. Agnoſcunt Tungrenſes factum hoc, & datum ſibi ab Angelo gratabundi accipiunt Epiſcopum. Cæterum quę de ejuſdem cum Chriſto Servatore cognatione ſcribit & credi vult Placentius, ut non nego, ita Servatio majorem honorem acceſſiſſe puto ex illa cognatione, quâ Chriſtum tangit, quicunque facit voluntatem Patris, quam ex eâ quæ ſecundum carnem eſt, ſecundum quam poſt hac neminem noſcere curabat Paulus, & quorum nonnulli fuere inter quos inhonoratus fuit ipſe Chriſtus, vere nobilis ille, ſplendor & Decus familiæ ſuæ, imo qui egregiis majoribus ſuis præluxit. Longævitatem ei quoque adſcribunt quæ legentiũ ſuperat fidem. Quis enim credat aliquem ſupra trecentos & ſeptuaginta tres annos illo tempore, quo centenarii à multis ſeculis inter vivos eſſe deſiere, & vitæ humanæ terminus ſpecificus, ut in ſcholis loquuntur annos *ſeptuaginta* aut *ſi in fortitudinibus*, ut ille loquitur, *octoginta* non excederet. Hæc autem non ſolum nobis non probantur ſed nec Auberto Myręo (*a*) qui longævitatis hujus

Matt. XII. 50.

2. Cor. V. 16.

Marc. VI. 3. 4. Luc. XIX. 12.

Pſ. XC. 10.

(*a*) in faſtis Belgicis ubi de Servatio agit

hujus errorum inde arceſſit, quod ſeptuaginta annos Tungrenſi Eccleſiæ præfuiſſe ſcribitur quod crediderim libentius, quam ipſum tam longævum fuiſſe. Quin imò Johannes Molanus (*b*) Lovanienſis Theologus, de cognatione & longævitate ingenue ſic ſcribit *Addunt nonnulli Chriſti conſanguineum fuiſſe, & vixiſſe annos trecentos ſeptuaginta tres. Quod ex veteribus libris probari non poteſt: ſed potius improbari. Quis enim credat trecentorum annorum ætatem, idoneam fuiſſe legationi ad Conſtantium, profectioni ad Synodos, & ad limina Apoſtolorum? Certe ſi ſupra vires ſuas, hæc Dei virtute feciſſet, citati ſcriptores non tacuiſſent, quod ad Dei gloriam maxime ſpectaret. Quare* (nota) *cum clero Trajectenſi, hæc velut incerta ſeponamus*;

Seculum IV. Anno Chriſti.

(*b*) lib. de Natalibus Sanctorum Belgii ad diem 13. Maij. Num. 1. in additamentis Lovan. 1595. I.

Nunc quid in Epiſcopali curâ Servatio acciderit videndum. Delectabatur privatis meditationibus ſoliloquia vocant, adeo, ut in publicum vix prodiret, multò minùs proferret aliquid, niſi cum concio habenda eſſet. Hinc conflata ipſi invidia apud eos quibus verbum Dei parvi fiebat propter abundantiam; uti copiam rerum præſtantiſſimarum etiam ſpernere ſolent mortales Servatius interea judicium Dei prædicare, certo ad-

1. Tim. II. 8. futurã pœnam illius contemtus ſc. verbi aliorumque peccatorum, nominatim regionem vaſtatum iri quæ confirmabantur vulgi opinione ex crebris terræ motibus, aliiſque cæleſtibus ſignis. Servatium petunt igitur Dei ut deprecetur irã. Hanc certo ſe loco melius deprecari poſſe, jam tum credi cœpit. neque enim ab initio ſic fuit, ſi modo & Chriſti & Pauli, quovis loco adorandum Deum docentium verbis fides habita, ut de eo non eſt dubium. Quare non immerito hoc Servatii peregrinationis exemplum inter prima collocandũ qua in peregrinatione meritum tamen non collocabat, neque cultum Dei. Non item ad imagnes illa facta, ſed *limina Apoſtolorum*, id eſt Romã (*c*) ſicut & alii Hieroſolymã & ad martyria peregrinabantur adeo ut peregrinationis hodiernæ. Pontificiæ fundamentum jactum & zizaniæ iſtius ſemen ſatum videas quidem, ſed quod fœtum genuit, ut præter opinionem ſatorum, ita informem: imò ingens & horrendum monſtrum, participans quidem de nomine non naturâ peregrinationis veterum Documento nobis ſit declaratio Paulini (*d*) de intentione peregrinantium:

Seculum IV. Anno Chriſti.

(*c*) ita phraſim hanc explicat C. Salmaſius Citante G. Hormo in Notis ad Sulp. Severum pag. 368.

(*d*) Epiſt. ad S. Severum cit G. Perkinſo in Demonſtr. problem Cap. *peregrinatio* & poſt eum G. Hornio in notis ad Sulp. Sev. Hiſt. lib. 2. ubi peregrinationem Helenæ Auguſtæ non aliter deſcribit author.

tium: *Non aliter affectus hominum ad Hieroſolymam rapit, niſi ut loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant atque contingant* quo fidem firmari putabant ita enim Hieronymus Epiſt. CLIX. *pars fidei eſt adoraſſe ubi pedes Domini ſteterunt*. Cæterum peregrinationem ſuam diſtulit, donec Coloniæ convocaretur Synodus in qua Effratis, loci Antiſtitis Hęreſios Arrianæ accuſati cauſa diſquireretur. Celebratâ illâ, Servatio inter cæteros juſti judicis partes agente, reus deprehenditur Effrates, & condemnatus, Severinum ſucceſſorem habuit orthodoxum. Porro Synodo huic præter cæteros orientis ob fidem huic relegatos Epiſcopos etiam interfuit ille multum terrâ & alto jactatus Athanaſius Alexandrinus qui Treveris (*e*) exulavit & Tungris ipſis à Servatio benigne exceptus. Hæc circiter annum hujus ſeculi quadrageſimum ſextum contigere. His ita feliciter & ex voto peractis. Metum primum, inde Baſileam. mox per Alpes in Italiam, tandem Romam appulit ubi publicâ multorum gratulatione exceptus, iram deprecari divinam incipit. Cumque jam oratione penitus ſe maceraret (reſponſum quippe aliquandiu dilatum) tandem percepiſſe

(*e*) Sulpit Seve. Hiſt. Sac. lib. 2.

CCCXLVI.

Seculum IV. Anno Christi.

cepiſſe ferunt, *Omnes Galliæ partes, adeoque Tungrim ipſam, Hunnorum crudelitate armis vaſtatum iri* (f) Reſponſo hoc accepto, ad ſuos reditum maturavit. Sed Attilæ Milites Italiam jam tum depopulantes, detinebant eum & remorabantur. Tandem cæleſti Angelorum virtute liberatus Wormatiam primum inde Coloniam apud Severinum modò memoratum, hinc, Tungrim ad ſuos ſalvus pervenit. Paulo poſt à Magnentio Tyranno, una cum Maximino Trevirenſi Epiſcopo, ad Conſtantium, cui oriens parebat, Legatus miſſus, pari humanitate ab Athanaſio, jam ſuis reddito, eſt acceptus. Hæc ad annum quinquageſimum hujus ſeculi referunt, qui hujus ſecundæ legationis meminerunt. Nos autem ſecundum ea quæ ex Molano ſupra attulimus hic quidem narramus non affirmamus: niſi clariora documenta nobis oſtendantur. Quæ autem ſubjungimus magis certa ſunt, fido quippe ſcriptori memorata.

(f) Placentius à Petro reſponſum datum audacter affirmat Amandus ziri-zeenſis fol. 59. in vitâ Servatii nihil horum habet, & Romam *miſſum* affirmat quidem, ſed *Legatum Eccleſiarum Galliæ* adeoque non orandi cauſa illuc ivit: & nos hunc firmum argumentum colligimus, quo freti negamus peregrinatum fuiſſe Servatium orandi causâ: ſicut quę in in textu paulo ante diximus per conceſſionem dicta ſunt & ſimul oſtendunt non favere hodiernis peregrinationibus compoſtellanis, Aſpricollenſibus, Hollenſibus & ſimilibus. CCCL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Arriani condemnati non ita pridem in Concilio univerſali Nicœno, & veritate victi licet non pro eâ, ſed contra eam omnem lapidem moverunt tandem obtinuerunt ut controverſia jam deciſa, rurſus ventilaretur, idque in Synodo quidem, ſed non unâ ut nempe ſeparatis veritatis aſſertoribus vel victoriam reportarent, vel ad minimum non victi viderentur. Apud Ariminum ergo Italiæ, occidentalium, ſicut & Zeleuciæ Iſauriæ Orjententalium, Epiſcoporum, Conſtantii Imperatoris, circumventi & ſeducti ab Arrianis mandato Synodus congregatur, actura de controverſiis tum gliſcentibus nominatim de filii Deitate. Convocantur undique Epiſcopi, & convocati quadringenti & amplius advenere. Hos inter & Servatius noſter fuit. In Synodo autem ipsâ tantum, favore Imperatoris nixi Arriani effecere, ut plerique partim technis, partim minis ipſorum circumventi, ceſſerint, parati ſubſcribere ſubdolę eorum fidei confeſſioni, in quâ ὐσίας & ὁμουσίας perſignificantes & controverſiam dirimentes voces, ſtudio prætermiſſæ, ſubſtitutis aliis Arrianorũ nequitię faventibus commentis. Haymo Hiſtor. Eccleſ. lib. 9 Cap. 7. Supererant

Seculum IV. Anno Christi. CCCLXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

viginti tantum qui renuebant opponebantque ſeſe, non numero perſonarum, etiamſi ad id rogati à Tauro Ceſaris legato, ſed pondere rationum vinci volentes quorum pars magna erat Servatius; adeoque ſolus juxta Fœgadium, Arginnenſem Nitiobrigum in Aquitaniâ Epiſcopum, cum honore nominatus ei qui hæc tradit (g) Quin & iidem illi *profeſſiones fidei* edidere *in quis*, notante, Chriſtiano illo Salluſtio, *primum damnatur Arrius, totaque ejus perfidia: cæterum non etiam patri æqualis &* (h) *ſine initio, ſine tempore Dei filius* pronuntiatur verum propter fallacem additionem Valentis, ut Acerrimi Arriani, ita mortalium nequiſſimi, ſperatum finem non obtinuēre. Quicquid ſit, hæc fidei conſtantia ut laudanda eſt ita Chriſto grata, non tamen ita multis hominibus probata & accepta. Quare domum reverſus abſtinuit ſeſe à conventibus & orando Deum, ſuoſque docendo reliquam vitam tranſegit. Sub ejus finem ingratam Tungrenſium civitatem ſuâ præſentiâ pariter & Epiſcopali dignitate, privavit, & Trajecti ad Moſam ſedem, ut loquuntur collocavit. Ille verò Tungris cum ſuis ejectus vicinis in locis pedes Euangelizavit. Non multò

(g) Sulpit. Sever. Hiſt. ſac. lib. 2. pag. 428. ex edit G. Hornii.

(h) V. Giſelinus legit ſet.t. pro d.poſito. & ſane ita legi debet niſi contradicere ſibi velit author.

lSecuum IV. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

poſt Deo animam, terræ corpus reddit.

Ut variant Authores, in aſſignando nativitatis anno, ita & in mortis tempore non conveniunt. Nobis ut ſeptuaginta tantum, non centum ſeptuaginta ſex annis Eccleſiæ Tungrenſis curam 333.
geſſiſſe, ita anno currentis ſeculi octuageſimo tertio, naturæ debitum ſolviſſe, cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus, Miræo aliiſque videtur.

Vita ejus peculiari libro deſcripta, ſed manu exarata & inedita extat in Bibliothecâ Boxhornianâ. Author in eo totus eſt 1. ut probet Servatii cum Chiſto cognationem de quâ nos ſupra diſſeruimus. 2. ut multa miracula ab ipſo facta narret quæ nos referimus ad credulitatem illius ævi 3. denique Apoſtolis, imo Chriſto eum comparat, atque adeo alterum Franciſcum facit qui hoc modo nihil minus quam honore afficitur, quem hinc non quæſivit ut pote qui ſecum habitavit, adeoque novit ſe Apoſtolos, multo magis Chriſtum, paſſibus non æquis ſequutum.

Unum adhuc memorandum & haudquaquam prætereundum nobis eſt, quod tradit Henricus Boxhornius *Antidoto Catholico, dat is Algemeyn tegen gift op de acht genaemde Catholycke propoſitien*

van

van die van Poſtel in de antwoorde op de 8 propoſitie pag. 89 .*in* 8.*tot Breda*, 1605. *item in Antipatre Gauda pag* 9.*in* 4. *handelende vande ſtadt Antwerpen ende haer Religie in oude tyden* ſcilicet Radolphum de Dio, Decânum Tungrenſem, Micrologum, Albinum flaccum. Walafridum & Amalanicum Epiſcopum Trevirenſem in ſcriptis ſuis teſtari, ſe vidiſſe & legiſſe *formulas quaſdam liturgicas*. ut vocant *Eccleſiarum Tungaricarum & Brabanticarum* quæ tempore Servatii & multis ante & poſt ipſum annis ibidem in uſu fuerunt: quæ cum referrent primitivam & Apoſtolicam cultus publici ſimplicitatem, ſatis evincebant nihil hactenus cum Romanis ipſis commune fuiſſe. Hæ demum irruptione & perſecutione Barbarorum cum ipſo cultu ceſſarunt primum, poſt modum abolitæ plane & abrogatæ quando prætextu conformitatis, ceremoniarum, officium Gregorianum ubique obtruſum & receptum eſt, exploſis Ambroſiano, ſeu Mediolanenſi aliiſque, ut ea pro regionum & nationum diverſitate variaſſe conſtat.

Cæterum Seruatium excepit Agricolaus poſtquam ſedes ultra ſeculum vacaſſet. Nam ſtatim à morte Servatii ſub-

ſecuta

ſecuta perſecutio, à Vandalis Hunnis aliiſque Barbaris excitata. Quæ magnam Chriſtianæ religionis propagationi injecit moram, etiam apud remotiſſimas ab Italiâ gentes: ſublati quippe non ſolum è vivis fidiſſimi quique paſtores, ſed & qui manus eorum effugere potuerunt ſolum vertere coacti, adeo ut paſtoribus percuſſis oves gregis ſint diſperſæ & à lupis devoratæ præ. cæteris memorantur Nicaſius Remenſis, & Eutropia, Galliæ Belgicæ martyres. Seculum IV. Anno Chr iſti.

In quorum Martyrio ſeculi quinti initium facimus. Nam Coſterius annum quartum iis aſſignat, alii ſerius martyrio affectos ſcribunt. Verum ob memoratam perſequutionem decrementa Eccleſiæ Belgicæ majora ſeſe offerunt, quam incrementa quæ tamen, ſed exigua traduntur. Victricius quippe Rotomagenſis Epiſcopus prædicatæ olim à Piato, Chryſolio, aliiſque, ſed jam aut extinctæ aut obſcuratæ religioni ſuam dum ſuperaddit diligentiam & labores, Nervios, Morinos, alioſque vicinos Belgarum populos verum & rectum ei cultum edocuit (*i*) anno hujus ſeculi decimo ſexto. Sed brevem hanc, pacem longa perſequutio, nec minus dura, excepit. Non aliter ac poſt magnam procellam Seculum V. Anno Chriſti.

(*i*) Hen. Coſterius opt Iaer CCCXVI.

cellam malacia ſubſequens parva, poſt ſe majorem trahit tempeſtatem. Adeo populationibus ſuis dictæ nec ſine horrore rurſum nominandæ nationes religionis curſum impediverunt. Nam infirmi quique aliique, quibus vita quam bona & impolluta conſcientia carior, omnem relligionis cultuſque divini curam abjecêre, imò optimi quique omni ſubſidio deſtituti, ſibi ipſis proprio damno relinquebantur.

Seculum V. Anno Chriſti.

Eleutherius tamen, Tornaci ex Chriſtianis parentibus natus & ab iiſdem in fide educatus. Epiſcopatum patrium à morte Theodori prædeceſſoris adeptus multum operę in confirmandis fidelibus, imò convertendis apoſtatis & Paganis, impendit, annis quinquaginta quinque, quibus Eccleſiæ curam geſſit. Multum paſſus ab Arrianis & Paganis; cum *autem*, ſunt verba Molani, (*k*) *magno labore Tribunum Scandienſem convertiſſet, ceſſavit perſecutio, & Tornaci in tantum eſt fides propagata ut inibi profiteantur.*

(*k*) in Natal. ſanct. Belgii ad 20. Febr. Num. 1.

Miro modo ſunt converſi
Per hunc cives univerſi

Sed adverte Romanenſium concordiam diſcordem. Scribit enim Henricus Coſterius (*l*) Eleutherium *ad petitionem*

(*l*) lib. cit. opt. jaer. cccc-LXXXIV.

titionem Chriſtianorum à Pontifice Romano conſtitutum & ordinatum Molanus verò ex Monumentis Tornacenſis Eccleſiæ ad ſe tranſmiſſis diſertis verbis aſſerit *Eleutherium Theodoro fidelium electione.* (nota) *ſucceſſiſſe* fateor legi porro apud eundem *propter fidei negotia Elentherium bis Romam profectum* ſed non ad obtinendum Epiſcopatum, verum eo jam fidelium elcttione accepto *anno ſui pontificatus*, ut ille loquitur decimo quarto primum & deinde vigeſimo ſexto. Addit idem, quinquennio ante mortem Synodum contra Acephalos Hæreticos (ſic dictos quod mullus eorum reperiatur author duas in Chriſto naturas aut plane negantes, aut agnoſcentes quidem, ſed proprietatibus earum inter ſe confuſis) celebraſſe, eoſdemque è civitate ejeciſſe. Seculum V. Anno Chriſti.

Nunc Servatii ſucceſſorem videamus Quem Agricolaum nominatum fuiſſe certius conſtat, quam quo anno ſucceſſerit. Mirȩus enim anno quadringenteſimo decimo octavo Amandus quadringenteſimo quadrageſimo quarto. Placentius currentis ſeculi nonageſimo octavo (en hiatum) Colterius autem ſequentis ſeculi duodecimo Epiſcopalem curam ſuſcepiſſe ſcribunt. Etſi autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

tem nihil certi quod affirmemus habeamus, tamen juxta ea quæ ſupra à nobis dicta ſunt Coſterio adſtipulamur. Nos enim ex eo, aſſerimus ſedem Epiſcopalem Trajectenſem ultra ſeculum vacaſſe: hoc eſt proprio Epiſcopo deſtitutam fuiſſe Interea temporis Colonienſis Eccleſiæ Epiſcopi, nominatim Severinus quantum per diſtantiam loci & proprias curas licuit horum Tungrenſium ſc. Trajectenſium (*m*) Hujenſium, aliorumque curam geſſerunt.

(*m*) Henrick Coſterius opt Iaer 512.

Seculum VI. Anno Chriſti. IↃ XII.

Nunc ergo ad ſeculum ſextum pervenimus: quod cum Agricolao inchoamus, huic ſucceſſit Urſichinus qui Deſignatum habuit ſucceſſorem. Dein Reſignatus, pòſt Sulpitius, mox Quirillus inde Eucherius, tum falco, poſtremò Eucharius ordine Epiſcopos egerunt. Hi omnes ſimul per tres & quinquaginta integros annos Eccleſiæ curam geſſerunt, ſi Placentio fides habenda. Miræus è contra *quot annis ſinguli ſederint*, non conſtare dicit. Quod ſi tamen Placentio adſtipulandum, jam in Eucharii ſucceſſore cui Domiciano nomen, convenit ipſi cum Coſterio uterque enim anno currentis ſeculi quinquageſimo quinto, curam Domiciano demandatam ſcribit hunc Bavariæ Ducis filium, à pri-

Seculum VI. Anno Chriſti.

à primis cunabilis litteris traditum, pietas regibus ut gratum, ita doctrina hæreticis formidabilem fecit. anno adminiſtrationis decimo ſexto, animam Deo reddidit à morte autem Monulphus ſucceſſor ipſi datus horum omnium paucis meminiſte ſatis eſſe putamus quia nihil memorabile ab ipſis geſtum legimus.

Interea temporis Medardus, (*n*) Noviomenſis Epiſcopus, in locum demortui jam Eleutherii ſubſtituitur Epiſcopus, *Electus ab omnibus* (*o*) Tornacenſis Eccleſiæ civibus. *In quam electionem Rex & Proceres & Epiſcopi comprovinciales conſenſerunt*, cœterum inſtitit veſtigiis prędeceſſoris ſui, annis quindecim, quibus præfuit, adeoque multos Chriſto lucrifecit.

(*n*) Henr. Coſterius opt jaer IↃXXIX.

(*o*) Molanus in ejus Natali ad 8. Junii.

Anno ſequenti S. Vedaſtus à Remigio, Rhemenſium Archiepiſcopo Atrebatum Artheſiæ miſſus, & ibidem in Epiſcopum ordinatus & receptos multos in civitate & circumjacente regione à tenebris ad lucem convertit hujus vitam ſcripſit Alcuinus, Bedæ diſcipulus & Caroli magni præceptor: quam Natalibus ſuis maximam partem inſeruit Molanus (*p*) ex qua & nos duo memoranda referimus & primum quidem quod regem francorum Clodoveum bapti-

IↃXXX.

(*p*) In natali S. vedaſti ad 6. febru.

baptizandum & Chriſti Eccleſiæ inſerendum (à quo primo Regum Franciæ Chriſti fidem profeſſo, ſucceſſores ejus Galliarum reges hodie etiamnum *Chriſtianiſſimi* vocantur) in fide inſtituerit: alterum quod moriturus vocaverit ad ſe filios ſuos (ut ſcias juxta Paulum unius uxoris virum fuiſſe & liberos habentem ſubditos) iiſdem cæteriſque adſtantibus

1. Tim. III 2. 4. mandaſſe, quod alias ſæpius dixerat ut ipſum non in civitate ſed extra eam,

Seculum VI. Anno Chriſti. *prope littus Crientionis fluvioli* in loco ſibi paupere ſumptu ædificato ſepelirent; quia nempe *civitas locus debet eſſe vivorum non mortuorum*: ut pateat morem ſepeliendi in meditullio civitatis ſc. in templis, & cœmiteriis non antiquum adeo eſſe, ac quidem vulgò creditur, quin & antiquos Eccleſiæ doctores hac ſuperſtitione non ductos, ut ad ſalutem animarum facere crediderint ſepelitionem in templo & ad altare, imo nec in cæmiteriis conſecratis, ut ajunt. Diem ſuum obiit anno regiminis quadrageſimo, qui erat ſalutis quingenteſimus ſep-

IↃLXX. tuageſimus. ſucceſſit ipſi Dominicus, & Dominico Vedulphus, qui ſedem Cameracum tranſtulit & durante epiſcopatu multa præclara geſſiſſe ſcribitur, ſucceſſorem habuit S. Gaugericum,

(q)

(*q*) vitæ ſanctitate conſpicuum, &, ſi credere fas eſt, etiam miraculis clarum.

(*q*) Molanus refert natalem ejus ad 11. Auguſt. & IↃXCIV. 3. idus Auguſti diem obiiſſe ſcribit.

Circa hæc tempora imperium Romanum tenebat Mauricius, ſedem verò Gregorius cognomento Magnus cui lis interceſſit cum Johanne Conſtantinopolitano, ſuper Primatu. Mauritius imperator imò ipſa Græcorum Synodus pro Johanne reſponderunt. Itaque Gregorius ex Cæſareo ut Eccleſiaſtico mandato Johan. ſubeſſe tenebatur. Sed huic reluctans, è contrà Petro claves eſſe traditas contendit. Queſtus eâ de causâ ad Anaſtaſium Antiochenum, his verbis, (*r*) *Novit veneranda Sanctitas veſtra per ſanctam Chalcedonenſem Synodum, Pontifici Sedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente ſervio, hoc univerſalitatis nomen oblatum eſſe. Sed nullus prædeceſſorum meorum hoc tam profano vocabulo uti conſenſit, quod videlicet ſi unus patriarcha univerſalis dicitur Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc à Chriſtianâ mẽte. id ſibi quẽpiam arripere unde fratrũ ſuorum honorẽ imminuere quantulacumque parte videatur.* Ergo Romanæ Eccleſiæ hoc juris datum eſſe ſcribit in quo non tam veritatem profert ac quidem in eo, quod ut nemo prædeceſſorum ita nec ipſe præ-

(*r*) part. 7. Epiſt. 30.

Seculum VI. Anno Chriſti.

tenſo

tenſo illo jure uti voluit modeſtiam probat& humilitatem. Niſi forte αὐτοκα-τάκριτος, non auſus uſurpare id quod ſibi traditum putavit. Certe hic ille eſt, Qui *antecedentium Pontificum reſpectu, peſſimus* quidem, *ſequentium* tamen *optimus* fuiſſe audit veteri dicto, quod de eo circumfertur. Sanè egregia imò optima ſunt, quæ ante adeptum Pontificatum in hæc verba quæ aureis litteris digna ſcripſit *Ego fidenter dico, quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem appellat vel vocari deſiderat, in elatione ſuâ Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo cæteris ſe proponit.*

Citante I. Læto in Speculo Myſterii iniquitatis ſub finem Cap. 2. in 12. Franc. 1642.

Hanc Gregorii ſententiam humilitatemque ſed fictam, ejus poſt Sabinianum ſucceſſor Bonifacius III. minime ſequutus primus Uuiverſalis Epiſcopi nomine Eccleſiam Romanam rext. Quam dignitatem, ſi nomine illo liceat Antichriſti genuinum hoc ſignum appellare, ut juſto titulo non poſſedit, ita nec jure ullo accepit. A Phoca quippe, parricida& Tyranno eam *obtinuit: magna* (tamen) *contentione* (ita Platina, (s) *ut ſedes Beati Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus.*

2. Theſſ. 11. 4.

Seculum VII. Anno Chriſti.

(s) In vita Bonifacii III.

Accidit hoc anno à nato Servatore ſexcen-

ſexcenteſimo ſexto & hîc ſeptimum inchoamus ſeculum cujus initio ad ſupremum faſtigium elatus ille Epiſcopus, cujus prædeceſſores Eccleſiam Romanam ante commacularunt quidem ex parte, ſed hic cæterique, ſucceſſores in totum; atque ita tandem plane deſciverunt ab illâ fide quam Gentium Doctor, circumciſionis Apoſtolus, Sanctis Romæ ſemel tradidit, & nos, poſtliminiò quaſi revocatam, per Dei gratiam ſervamus. Sic Romana fides hodierna, multum diverſa eſt ab illâ antiquâ cujus Symbolum legere eſt in Epiſtolâ ad Romanos à Paulo miſsâ, quæ nunc eſt contra Romanos. Hanc autem Theologorum noſtrorum obſervationem, nuper ſequenti epigrammate expreſſimus. In Epiſtolam D. Pauli ad Romanos. IↃCIV.

Hæc ad Romanos ſublimis Epiſtola Pauli eſt,
Sed veteres non quos nunc nova Roma fovet.
Nec juvat antiquæ vana oſtentatio laudis,
Nam Romam in Româ vix reperis media.
Ergo quos olim docuit, nunc ipſa refellit:

Sic

(t) Lib. XI. Cap. II. de geſtis Longobardorum

Sic contra eſt ad quos littera ſcripta fuit.

Cæterum, *hoc ubi datum eſt*, ita Paulus Diaconus (t) de acceptione tituli hujus primatus, Pontificibus Romanis, *veluti feneſtra ad Imperium totum aperta eſt; ac animum & ad urbis & orbis dominium adjiciunt, totique quâ data porta irruunt Pontifices.* Igitur revelatus eſt Antichriſtus, filius ille perditionis magno Eccleſiæ malo. Deo hoc modo eam exercente quidem, non tamen deſerente. Quare non pauci ubique ſe oppoſuêre.

Seculum VII. Anno Chriſti,

Qui verò in Belgio noſtro, aut alibi conſtituti Belgæ idem fecêre, numero multi ſunt & factis egregii. Quos impoſterum referemus. Nec enim cum Romanâ ſtatim cæteræ Eccleſiæ defecerunt. Quanquam & hoc negari non poſſit, quin mortuis iis Epiſcopis & *Miniſtris* (u) *Eccleſiarum*, qui prioribus ſeculis iiſdem dati & veræ & veteris religionis tenaciſſimi fuëre quin iis, inquam mortuis, eorum ſucceſſores, multum ab illis fuerint diverſi, imo tandem plane iis adverſi miſſi quippe partim, partim corrupti, partim illecti à Romanis, ſpe majoris dignitatis conſequendæ (quia paritate mini-

(u) Ita ſui ſeculi Clericos ſic dictos appellat, & quod digni eſſent taxat Sulpitius Severus lib. I. Hiſt. Eccleſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

miniſtrorum ſublatâ, jam gradus conſtituti erant) eorum errores, non Chriſti veritatem, nihil minus quam Romanam fidem, auditoribus ſuis tradiderunt, prædicarunt. Quare etiam poſthac tantâ curâ referendi non ſunt ſinguli Trajectenſium Epiſcopi. Præterquam enim quod & iidem paulatim à verâ defecerint fide Chriſtiana religio, non unius Tungrenſis, Moſæ trajectenſis, Tornacenſis, aliarum civitatum pomæriis diutius incluſa, ſed jam inſuper per cæteras Belgii civitates & pagos diffuſa & diſſeminari cœpta eſt. Ne quid tamen deſit, ecce nomina eorum & ſeries. Momulphum ſequutus Goudulphus (Miræo Ebregiſus dictus) Goudulphum Perpetua (aliis Perpetuus) hunc Euergiſtus, hunc Johannes, (cognomento Agnus) poſt quem Amandus, Remaclus, Theodardus & Lambertus, ultimus Trajectenſium Epiſcopus. Qui poſtremo martyrio coronati anno ſeptingenteſimo. Lambertum Hubertus, Bertrandi Aquitanorum Ducis filius excepit hic quam Servatius Tungris Trajectum, hinc Leodium ſedem tranſtulit & primus Leodienſium ſalutatur Epiſcopus.

Seculum VII. Anno Chriſti.

Sed hîc neceſſe, eſt ut pauliſper, ſubſi-

ſubſiſtamus, quin imò regrediamur paucisque complectamur, quibus porrò in locis, & à quibus doctoribus, reliquum Belgii Doctrinâ Chriſti illuſtratum ſit.

Primus autem & locus & doctor, qui ſe hic offerunt, ſunt Hannovia & Aubertus (x) quidam. Hic Cameracenſi Eccleſiæ Præpoſitus & haud dubie Gaugerici ſucceſſor, Landelino, Vincentio, Giſleno, Ettone, Waſirulpho, Foillano, Ferſeo, Ulcano, Eloquio, aliiſque in partem curarum aſſumptis, totam eam Provinciam peragravit, & maximam ejus partem verâ religione illuſtravit.

Paulô poſt Amandus (y) Epiſcopus modo inter Trajectenſes ſuo loco nominatus Româ reverſus in Flandriæ interiores partes profectus Gandavenſes Chriſto fideles reddidit: deinde Bruxellanis & Nivellenſibus Chriſtum prædicavit.

Tandem etiam Foillanus, Levinus, Kilianus aliique (z) è Scotiâ advenēre, qui & converſos jam confirmantes alioſque convertentes Chriſti Eccleſiam ædificarunt.

Anno currentis ſeculi memoratus jam Amandus doctrinâ & virtute Clarus, urgente Dagoberto Franciæ regæ Chri-

(x) S. Molanus ad 13. Decembr. natalem ejus refert & Her. Coſterius ad annum IↃCXXX.

(y) idem Molanus natalem ejus refert ad 6. febr. Num. 3.

(z) Hotum idem meminit, ad 31. Octobr. Novemb. Num. 1. & 13. Nov. Num. 2. & Henr. Coſt. ad annum IↃCXXXIII.

Chriſtiano Epiſcopatum Trajectenſem in ſe quidem, ſuſcepit non autem intermiſit, Euangelii prædicationem etiam apud longè à ſe diſſitos Belgas aliosque populos, nominatim adepto Epiſcopatu, ſtatim Andoverpiam adiit & loci incolis Euangelium magno cum fructu annunciavit; ipſo autem domum ad ſuos reverſo, novos Andoverpiâ accipit Prædicatores; quos inter facile princeps fuit Eligius (*a*) qui propterea peculiari & honorifico nomine Antverpienſium & Flandrenſium Apoſtolus vocatur, præterquam quod Novio, menſis & Tornacenſis Epiſcopus Medardi, ſuperiori ſeculo memorati, poſt alios ſucceſſor, fuerit.

IↃcXL.

Seculum VII. Anno Chriſti.

(*a*) Molanus 1. Decemb. ejus meminit ex Mejero ad Annum IↃcXLIX.

Sic pii hi, & Deo fideles viri totam Artheſiam & Flandriam, quæ occidentem & Septentrionem reſpicit mare ipſum & Scaldim, ſe in id exonerantem, verſus, peragrarunt. Quod quia tutò admodum non licebat, pars capitali ſupplicio diverſis in locis ab infidelibus affecta, ſibi præmium, poſteritati exemplum, Chriſto martyrium, acquiſivit, præbuit, dedit.

Sola zelandia, Hollandia, Friſiaque & ſi quæ aliæ Septemtrionem reſpiciunt, regiones reſtabant. Quare Wil-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

fridus è dioceſi ſuâ pulſus, ad Friſios cæteroſque venit. A Friſiorum autem rege Aldgillo Rheno trajecti benignè habitus multis ſalutem prędicando attulit, quod anno ſalutis ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo accidiſſe ſcribunt. Cæterum quâ occaſione hic venerit gratum procul dubio erit legere deſcribit hoc Venerabilis Beda (*b*) his verbis. *Wilfridus pulſus Epiſcopatu* (Lindiſfarenſi) *Romamque iturus, & coram Apoſtolico Papâ cauſam dicturus, ubi navem conſcendit, flante favonio pulſus eſt Freſiam. Et honorificè ſuſceptus à Barris ac rege illorum Aldgillo. Prædicabat eis Chriſtum* (nota) *& multa eorum Millia verbo veritatis inſtituens, à peccatorum ſuorum ſordibus, fonte Salvatoris abluit. Et quod poſt modum Willebrordus reverendiſſimus Chriſti Pontifex, in magnâ devotione complevit, ipſe primus ibi opus Euangelicum cœpit, hiemem cum novâ Dei plebe fœliciter exigens.* Hactenus Beda. His adde, quæ ſubjungit Molanus (*c*) his verbis. *Aliquanto poſt S. Echbertus, ſitiens ſalutem Friſonum cum ſtrenuiſſimis ſociis ad predicandum idoneis, navim ingreſſus*

(*b*) Hiſt. Angl. lib. 5. citante eum P. Bockenb. in Vitâ Aldgilli Septimi Friſiæ regis ad annum memoratum: quæ omnia de verbo ad verbum fere transſcripſit Mol. Chronicâ S. Belgii recapitulatione, ſubjunctâ Natalibus eorundem, Cap. 15. adquæ velim attendant illi qui Bonifacium primum Friſiorum Apoſtolum vocant. Seculum VII. Anno Chriſti.

(*c*) lib. & Cap. cit. pag. 297. b.

greſſus eſt: ſed divina voluntas eum illi profectioni ſubtraxit, ob aliam Eccleſiæ utilitatem. Et unus tantum ex ſociis, Vuigbertus, contemtu mundi & doctrinæ ſcientiâ inſignis in Friſiam pervenit, & duobus annis continuis genti illi, ac regi, ſed ſine profectu, verbum ſalutis prædicabat. Sic curſus euangelii bene & feliciter cœptus impeditus eſt, partim ob incredulitatem, partim ob continua bella, quæ Friſii cum Franciæ regibus gerebant, modò adverſa, modò proſpera huc accebebat Ebroini, Majoris domus, ut vocant ejus ævi ſcriptores, Theodorici regis Franciæ abutentis poteſtate, ſævitia & tyrannis: quâ multos Galliarum Epiſcopos in Synodo quâdam condemnatos, ferro & igni proſequebatur; hos enim occidebat, illos loco movebat, alios ſubſtituebat (c) Ægre hoc ferens aliiſque injuriis affectus Pipinus Herſtallius, Brabantiæ regulus, Theodorico regi bellum indicit, & cum eo prælio decertans, victor evadit, capto rege Theodorico, & occupatâ urbe Friſiorum Trajecto Friſios ipſos ſibi ſubjugat. Quare Eccleſiis lux, Epiſcopi autem ſuis reſtituti ſuperſtites, in locum trucidatorum alii evocantur, & benigne accipiuntur. Nec Pipinus ſolum ſed &

(c) idem lib. cit. Cap. 13. pag. 29. & H. Coſterius ad Annum 686.

Seculum VII. Anno Chriſti.

Ratbodus ipſe Friſiæ rex, & Aldgilli Filius, à Pipino prope Duroſtatum fugatus, & viribus fractus, Eccleſiis, quanquam invitus, longam reſtituit pacem.

IↃCXC. Annus jam erat à nato ſervatore ſuper ſexcenteſimum nonageſimus, quo Willebrordus cum undecim comitibus, duodecim Apoſtolorum inſtar, ex Angliâ ab Ecberto Eboracenſi Epiſcopo, cujus fruſtra tentatam in Friſios trajectionem mox memoravimus, miſſus, (*d*) Trajectum ad Rhenum, Viltenburgum dicta, appulit, & à Wilfrido ac Uberto incæptam Euangelii prædicationem continuavit. Idem ſed aliis & diverſis in locis ejus Collegæ ejus fecerunt. Atque ita novi hi Apoſtoli jacto à Wilfrido aliiſque fundamento partim ſuperædificarunt partim novum ipſi jecerunt. adeo ut nulla fere Belgii provincia, nulla urbs fuerit quam non læta ſalutis vox perſonuerit. Groningenſem tractum, Tranſiſalaniam, Hollandiam, Zelandiam & vicina loca peragrarunt. Vidit & excepit Alcmaria Sivibertum, Willebrordi collegam, credíditque ejus prædicationi. Similiter & tractus Altenanus, locique circumjacentes. Exſtruxit ædificavitque inſuper

(*d*) Idem Molanus lib. cit. Cap. 17. pag. 299. a.

per templa, quò commodius in poſterum convenirent ſacriſque operarentur credentes: Læti quòd contingeret poſt incertos, vagos & incommodos conventus habitos tandem fixam & commodam Domum Jehovæ adire. Sic Santvici, Workumi, aliiſque in locis ædes ſacræ exſtructæ. Quę Gelriæ nobiliſſima pars eſt, & Batavia nominatur, nondum de Chriſto nuncium audiverat. Quare idem Swibertus illam adit, eruditque de Chriſto Salvatore. Hinc Teiſterbandiæ Weſtphaliæ & Boructuariorum Apoſtolus vulgo nominatur.

Seculum VII. Anno Chriſti. Pſal. CXXII. I.

Cæterum nomina omnium Collegarum Willebrordi & loca Belgii ab ipſis veritate Euangelii illuſtrata, ſcire qui cupit adeat inter cæteros & præter Henricum Coſterium ad Annos Chriſti 690 & 695. item Petrum Bockenbergium in Catalogo Pontificum Ultrajectenſium in annotat. margin. ad vitam Willebrordi Joh. Molanum Chronicâ recapitulatione ſæpius citatâ. Cap. 17. & ſpeciatim de Lebuino, Reverendum Jacobum Revium Hiſtoriæ Daventrienſis lib. 1 pag. 10. 11, 12. nos iis recenſendis ſuperſedemus: hoc ſolum addentes quod ex his duodecim communi fratrum decreto, duo Willebrordus & Swiber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

vibertus, electi ſint in Epiſcopos conſecrandi. Quâ de causâ Willebrordus Pipinum Herſtallium Eccleſiæ Patronum & defenſorem adiit qui eum Romam ad Pontificem Sergium I. miſit: à quo paulo poſt præterito Siviberto, Archiepiſcopus Friſiæ creatus eſt addito Clementis cognomento. (*e*) Nomine autem Friſiæ, non ſola provincia illa hodie ſpecialiter ſic nominata, ſed & vicinæ regiones, quales ſunt Gelria, Hollandia. Zelandia aliæque intelliguntur. Quod vel ei qui à limine hiſtoricos iſtius ævi ſalutavit non incognitum eſt. Ego non aliter hoc olim ſic dictum exiſtimo, quam hodie omnes Belgarum Populi exteris, præcipuè hiſpanis Flandri & fœderati Belgii incolæ Hollandi a potiore & potentiori parte, vocantur. Verum in hâc ipſâ Archiepiſcopatus petitione & collatione patet jam tum minus Epiſcopo Romano attributum, & ab ipſo uſurpatum fuiſſe quando ab eo peteretur ordinatio ejus, qui jam ordinatus erat ab alio ſc. ut diximus, Ecberto cui id non minus competebat quam Sergio atque adeo prior illa ordinatio aut nulla fuit aut hæc ſecunda ſuperflua: quod nulla fuerit, nemo dixerit, quippe prædicavit, non ſolum

IↃCXVI

(*e*) Idem lib. cap. & pag. citt.

Seculum VII. Anno Chriſti.

ſolum vi ordinationis ſed & agnitus pro tali ipſi Pipino. Si dicas, aliam à priori & eo majorem fuiſſe, quo major eſt poteſtas & dignitas archiepiſcopi, quam Epiſcopi, regeram ego diſtinctionem & ſuperioritatem hanc ignotam non ſolum eſſe Eccleſiæ primitivæ, ſed & verbo Dei repugnantem. Cęterum notandum Willebrordum, non proprio motu petiiſſe, ſed ſuaſu & hortatu Pipini qui quod forte Willebrordum præferre vellet Siviberto, nec per ſe poſſet forte quod converſionem Friſonum promovendam exiſtimaret ex adjecto & collato Archiepiſcopatus titulo, forte etiam quod errore ſeculi deceptus, & quo magis Papam devinctum ſibi haberet, hanc ipſam ordinationis prærogativam ei deferre voluit qui totus in eo jam erat, ut partum univerſalis Epiſcopi nomen & imperium magis ac magis obtineret & confirmaret. Sanè Sivibertus ipſe, quanquam poſthabitus, *Willebrordi coepiſcopus*, nominatus non ſolum, ſed & *in Anglia* (f) *eſt Conſecratus* quam, in *Epiſcopum Friſiæ conſervandus*, petiit, poſtquam annos aliquot in Friſiâ Euangelizando tranſegiſſet, ut ſcias eum non adeo curaſſe ordinationem & conſecrationem Ponti-

(f) I. Molanus Chron. recapit. Cap. 17. pag. 299. b. Seculum VII. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ficis Romani, inque eâ ſententiâ fuiſſe, poſſe etiam prædicari Euangelium, & epiſcopalem exerceri poteſtatem, etſi eam non contulerit Papa *revulgato Imperii arcano*, *poſſe* Epiſcopum *alibi quam Romæ fieri*, ut hic verba C. Taciti lib. 1. Hiſt. applicem. Verum enim verò etſi Sergius Willebrordum in Epiſcopum Friſiæ ordinarit, non is tamen errorum ordinantis particeps dicendus, diſſeminator item aut patronus. Neque enim, licet certum ſit Euangelii doctrinam etiam tum de ſua puritate & ſimplicitate multum amiſiſſe, Willebrordus cum ſuis adorationem imaginum, tranſſubſtantiationem, Sacrificium Miſſaticum, utramque poteſtatem Papæ, Communionem ſub una ſpecie, aliaque Chriſti Doctrinæ Apoſtolorumque prædicationi & ſcriptis è diametro repugnantia, Chriſtumque è ſolio ſuo deturbantia, Romanæ autem Eccleſiæ hodiernæ propria dogmata *prædicavit*, ſed, ut ex Beda audivimus de Wilfrido, *Chriſtum* annunciavit quorum verborum puduit adeo Molanum, ut cum omnia Bædæ ſervet verba hæc omittat (g) nec ſimilia ſeu æquivalentia ſubſtituat. Ea enim phraſeos hujus vis eſt & energia, Paulo expreſſa ut omnia humana

(g) ſupra ad Annum hujus ſeculi ſeptuageſimum ſeptimum 2. Cor. 11. 1.

mana commenta rejiciat Talia autem à Willebrordo non prædicata fuiſſe nobis demonſtrare facile eſt; adverſarii verò contrarium probare nequeunt (k) Plura de Willebrordi prædicatione non addimus, quia illa apud Eccleſiaſticos ſcriptores paſſim leguntur, nominatim Bekam, nuper à Buchelio recognitum, & cum Hedâ editum & notis illuſtratum. Cum elogio Bockenbergio aliiſque memorato finem non vitæ, qui in annum ſeptingenteſimum & trigeſimum ſextum incidit, ſed dicendi de eo hoc loco facimus ita autem illud ſeſe habet;

(k) Vir Clar. G. Voetius Diſp. de ſignis 3. qua eſt de Miraculis parte 4. Theſi 2. Seculum VII. Anno Chriſti.

Vir virtute potens, divino plenus amore.
Ore ſagax & mente vigil, & fervidus actu.

atque ita finem huic ſeculo imponimus ad octavum venientes.

Cæterum quamvis Willebrordus ſi non puram & genuinam, ſaltem non Pontificiam prædicaverit religionem, non tamen omnes Belgæ ejuſdem cum eodem ſententiæ fuerunt. Proclives nimis ad errores ſunt homines quam ut omnes & diu in veritate perſtare que-

ant. Ita labimur cum multitudine eamque ad malum ſequimur potius quam relinquimus, non obſtante divino interdicto. Sic corruptam videmus Ec-

Exod. XXIII.2.

cleſiam Romanam, & cum eâ multas alias. Quia, cum pro capite agnoſci voluerit, ut male ſe habens caput, etiam ſana corporis ſui inficit membra, putrida ſua dogmata evomens alias Eccleſias conſpurcavit, quæ eam pro capite aut ſponte agnoverunt, aut recipere coactæ ſunt. Neque enim mirum eſt filias matris ſuæ, qualis item haberi voluit, & tandem liberorum damno deplorando effecta eſt, veſtigiis etiam peſſimis inſiſtere.

Specimen habemus in Huberto, primo poſt Trajectenſes, Leodienſium Epiſcopo, de quo paulò antè locuti ſu-

IↃCCX. Seculum VII. Anno Chriſti.

mus. Hic Epiſcopatus ſui anno nono, erat is decimus ſupra ſeptingenteſimum, Synodum in dioceſi ſuâ celebravit, Romanis erroribus infectam. Cujus canones omnes deſcribere, non alienum ab inſtituto noſtro exiſtimamus. Recenſet illos Johannes Roberti, Societatis Jeſu, ut ſe vocant, Doctor; (*i*) & nos ex ipſo.

(*i*) In Notis & Paralipomenis ad vitam S. Huberti in 4. Luxemb. 1621.

I. *Forma verborum in quibus conſiſtit Sacramentum Baptiſmi talis eſt, Ego Bap-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

II. *Volumus autem pueros ſeptenos & ſupra adduci ad Epiſcopum confirmandos, & adultos prius confiteri de peccatis ſuis.*

III. *Vt Præſbiter proprius alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrat, ita & ſemel in anno ei confiteantur ſua peccata ſubditi.*

IV. *Diligenter ei explicet præcepta Dei, & diebus Dominicis exponat ea quæ ad ſalutem ſunt animarum: quibus Sanctum corpus Chriſti quotannis dabit ad manducandum,*

V. *Quod ſi remiſſe Præſbiter ea curet, noverit ſe â Deo puniendum, qui ardentiſſimo deſiderio oblatus eſt pro ſuis, quia voluit.*

VI. *In omnibus ſe præbeat Præſbiter exemplum bonorum operum, & ſuper grege vigilet. Cum inimicus homo longe promptiſſimus ſit, ad ſuperſeminandum in agro Dei zizaniam,*

VII. *Eccleſiæ mundæ ſint, & altaria Ornata decenter: cum iniis Deus habitet, non ſolum ſpiritu, ſed & homo factus.*

Seculum VIII. Anno Christi.

VIII. *Ita tamen ut quod oculos intrantis ab oratione poteſt avellere, non*

repe-

reperiatur in eis, aut curioſitas oculorum: ſed ſapiant univerſa & ſingula ignem immittendum in cor fidelis adorare & orare venientis.

IX *Infirmis miſericordia Dei aperiatur, ita tamen ut & juſtitia comes ſit. Sed venit Chriſtus ut nos redimeret, & ſuo regno inſcriberet volentes.*

X. *Defunctis certo ſciant univerſi reddere Deum propitium, miſſæ Sacrificia quotidiana preces donationes & Iejunia: quæ ideo fieri poſtulamus, ut eorum animæ requie citius potiantur æterna quam nobis Chriſtus donare dignetur. Amen.*

Hactenus Synodi Canones: quorum ſingulorum cum Sacrâ Scripturâ, quin imò cùm doctrinâ hodiernâ Pontificiorum comparatione prætermiſſa (unde conſtaret illos nec Scripturæ nec decretis Concilii Tridentini convenire) ultimum ſolum ventilabimus, præeunte nobis ipſo Roberto qui recenſitis canonibus ſic ſcribit: *Hactenus Synodi Canones. Quorum ultimus ſatis clare inſinuat circa id temporis fuiſſe aliquos è Patriarchis Calviniſtarum, qui & pro defunctis orandum & ſacrificandum negarent & purgatorium tollerent. Fuerint hi ex Armenis, qui paulò ante orti erant, & purgatorium tollebant teſte à*

Caſtro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Caſtro V. Purgatorium item Prateolo & Sandero; vel ex Albanenſibus, qui cum paulò pòſt innotuerint, credi poteſt, jam tum clanculum cœpiſſe pullulare. Sic ille Et hæc quidem pro nobis aſſumere poſſumus. Neque enim negandum vel tum, fuiſſe, qui veritati litarent imò id paulò ante docuimus. Quos per Patriarchas Calviniſtarum indigetet ſcimus, nec ignoramus veritatis teſtes, prædeceſſores noſtros, hoc nomine notari licet illud nec aſſumamus nec agnoſcamus. Nec Calviniſtæ nos ſumus, nec hi eorum Patriarchæ. Tali aut ſimili nomine appellent ſeſe qui peccant peccatum Corinthiorum à quo per Dei gratiam tam procul abſumus, quam adverſarii à veritate, & prope ad idem peccatum accedunt. Cum malint clericorum plerique ex ipſis Pontificii & Papiſtæ, vocari, quam Chriſtiani. Imò Benedictinorum, Auguſtinianorum& ſimilium nomina ipſis uſurpata, idem evincunt. Neque mirum; in Pontificis enim & Papæ, & cæterorum ejus Satellitum, hominum ſuperſtitioſorum verba & errores jurant, eoſque ſequuntur, non Chriſtum: cujus diſcipulos ipſe Spiritus vocat *Chriſtianos*; atque adeo uix ferenda eſt audacia ſectæ illius inter

Seculum VIII. Anno Chriſti.

1. Cor. 1. 12.

Act. XI. 26.

Papi-

Papiſtas, quæ ſe *Ieſu ſocios* appellat qualis & eſt Robertus hic, quocum nobis nunc res eſt dicit ille. Quod Armeni & Albanenſes errores canone Synodi decimo notatos errarint. Ego vero reſpondeo, Si docere, non eſſe 1. orandum 2. ſacrificandum pro mortuis, neque 3. extare purgatorium, error ſit neſcio quid veritatis nomine debeat inſigniri. Non eſt error itaque, ſed veritas. contrarium, non veritas, ſed error eſt: ut à noſtris non ſemel eſt oſtenſum qui ea de re conſuli poſſunt; cum ex hiſtoriæ, quam ſcribimus lege, in hanc arenam deſcendere nequimus, pugnam alioquin ipſam non detrectantes, neceſſitate ita poſtulante. Celebrata ergo eſt hæc Synodus, & in eą ſtabiliti hi errores. Illi autem, ſenſu quo hodie accipiuntur, (*k*) tum veteres non erant, ſed novi & recens nati, ideoque tanta animi contentione ab eorum patronis propoſiti & defenſi, auri ſacra fame non argumenta ſuppeditante ſed tenacibus hominibus ſtimulum addente. Si vero non viſum fuiſſet Deo privare Eccleſiam ſuam etiam in his oris & lumine & ſplendore ſuo, aut hi aliiſque poſtea nati errores non introducti aut tam diu & à multis defenſi non fuiſſent

Seculum VIII. Anno Chriſti.

(*k*) Oſteudit id accurate ut ſolet G. Perkenſus Demonſtr. Problem. Capp. *preces pro mortius*, & *Purgatorium*.

ſent & obſervati. Sic primos craſſos in Belgio contra veritatem ſtabilitos vidimus errores qui, ut & hominum vitia, fœcundi admodum ſunt. Ut enim vitium ſine vitio, mendacium ſine mendacio celari aut defendi nequit, ita nec error ſine errore. Sic ubi ſemel labi cœpimus nec confeſtim ſurgimus, toti cadimus & ruinam meditamur.

Ergo idem ille Hubertus, poſt decem annorum intervallum tanquam re bene geſtâ ad alia progreditur. *Anno 720. habuit* (ita idem Robertus) (*l*) *S. Hubertus ſecundam Synodum, contra oppugnatores ſacrarum imaginum, qui caput extulerant in ſua parochiâ Epiſcopali: in quâ Secundam Synodum Romanam, pro imaginibus, ſub S. Gregorio juniore celebratam integre inſeruit.* Hæc ille, ad quæ nos: Imagines colere, eas adorare, aut per ipſas Deum colere, res tum temporis item nova erat & inaudita, quin imò contraria quaſi naturæ Belgarum. Ita enim de Majoribus noſtris C. Tacitus, (*m*) *Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem, aſſimulare ex magnitudine cœleſtium arbitrantur.* Hæc ille de Germanis inconverſis, neque lumine fidei aut verbi illuſtratis. Quid mirum ſi è tene-

IϽCCXX.

(*l*) lib. cit. ex Analectis Claudii Deſpretz ad ſe miſſis Seculum VIII. Anno Chriſti.

(*m*) lib. de moribus & populus Germaniæ.

tenebris ad lucem converſi hoſtes iconolatriæ deprehendantur. Poſtquam non ſolum ſecundo præcepto edocti
Exod. XX. 3. 4. ſunt de non faciendâ colendâve ullâ imagine, ſed etiam quod valde notandum nullam ſimilitudinem Moſi aut
Deut. IV. 15. 16. 17. Populo exhibitam, ſecundum quam cœlari poſſet Deus. Etſi ergo Hubertus ille celebraverit Synodum hanc contra imaginum oppugnatores, non tamen dicendum propterea, quod aut cultus imaginum ante illam fuerit in uſu (cum potius hoc modo introductus ſit, quemadmodum in pleriſque Italiæ Eccleſiis, per Gregorii junioris jam memoratam Synodum & authoritatem etiam factum, aut quod ille licitus ſit Chriſtianis. Tantum abeſt ut illis id liceat, ut potius contrarium ſtatuere debeant ex vi præcepti & naturæ divinæ, quæ cum infinita ſit, ſculptilis non eſt, neque ad eum modum coli debet aut poteſt quemadmodum Belgas hoc feciſſe videmus. Quare mirum videri non debet, ſi ut & hic error introduceretur eum Synodo decernere & ſancire neceſſe habuerit Hubertus. Quem ego venationis magis peritum fuiſſe judico, quam veræ theologiæ: ut non immeritò Venatorum Patronus & Divus ſit conſtitutus,

Seculum VIII. Anno Chriſti.

&

& feſtum ejus quotannis ad 3. Novembris celebretur etiam proh dolor & dedecus! à Reformatis verum audi Molanum (n) Patronatus cauſas, & eum colentium mores deſcribentem. Sic ille *Quod autem ad venatores attinet ſatis notis de Cauſis Hubertum, ut Patronum, invocant. Multa enim beneficia circa venationes & morſus canum præſtitit. Solent ſi quidem in nomine S. Pontificis exilire, & ſi quid proveniret illi pro voto rependere. Erat autem ab antiquo, ut inter miracula legitur, totius Arduennæ primorum firmata conſuetudo, per ſingulas vices annuæ venationis primitias & decimas ferarum beato Huberto perſolvere, eo quod idem Sanctus priuſquam mutato habitu ſæculari, propoſiti ſancti ordinem ſuſcepiſſet, hujus exercitii fuerit ſtudioſus. Vnde & de cætero à vicinis nobilibus idem ſtudium in ejus nomine agitur.* Quis non horreat totus trematque hæc legens, quibus invocatio, votorum ſolutio aliaque ſoli Deo debita, hominibus deferuntur! quin nunc, ò venatores, ſi fornicari vult Iſrael operam date ne delinquat Juda, ut verba prophetæ huc applicem.

(n) In Natali ejuſdem ad 3. Novemb. Num. 1.

Hoſ. IV. 15.

Seculum VIII. Anno Christi.

Nunc ad alia pergamus. Nondum ſat erroris in Belgium invectum fuit, Et qui

qui paſtor Eccleſiæ dici voluit certe eſſe debebat, depopulatus eſt illam. Sedem Romanam tenebat Gregorius II. cum plærique Germani & Belgę puram profitentes doctrinam, à Vinofrido quodam Anglo, apud ipſum deferuntur tanquam ſeducentes & ſeducti, pro talibus autem habiti ſunt ab hoc Gregorio:, & qui ei ſucceſſit, Gregorio III. itemque ab hujus ſucceſſore Zachariâ I. Quemadmodum id conſtat ex literis ejuſdem Zachariæ, quas anno 743. Galliæ Franciæque Epiſcopis, ſub quibus & Germani Belgęque comprehenduntur, ſcripſit, & legere eſt apud Joh. Aventinum. (o) Ergo ut cæci iſti ductores aut inſtruerentur, aut ſi meliora, ut ipſis videbatur, doceri nollent, loco moverentur, mittitur qui eos detulit Vinofridus, & Paſtor Germaniæ peculiari diplomate conſtituitur, anno ante prædictam Synodum celebratam, qui erat decimus nonus hujus ſeculi. diploma autem ipſum ex modo memorato J. Aventio (p) deſcribere & hic inſerere placet: *Gregorius, Servus ſervorum Dei, Vinofrido, religioſo Sacerdoti, ob pietatem & ſtudium litterarum, quæ ab ineunte ætate in te ſita eſſe comperio, docendi Francos, & à malis falſiſque Sacerdotibus purgandi provinciam noſtro*

(o) Annal. Bojor. lib. 3. pag. 171. 172.

(p) lib. cit. pag. 116.

noſtro jure tibi demando. Tu vero non fabulas hominum, non quæſtum tuum, ſed Chriſtum & Sacras utriuſque Teſtamenti litteras prædicato. Si qua graviora, quam ut à te rite beneque perfici queant, incide-rint, ad me deferto. Datum Idus Majas, imperante Domino Auguſto Leone, à Deo coronato, anno tertio imperii ejus indictione ſecundâ. Accepto hoc diplomate Româ in Franciam inde per Bojorum fines ad Turogos, inde ad Friſios ipſos proficiſcitur, neque ſegniter munere ſuo defungitur. Quos ſibi obeſſe reperit loco movet adjutus potentiâ & authoritate Caroli Martelli, Francorum Ducis, Pipini modo memorati F. peculiari Epiſtolâ ad id rogati, à Gregorio II. quam ſecum attulit Vinofridus, cum peracto curſu Romam ſe contuliſſet, res à ſe geſtas relaturus. Quæ adeo probatæ ipſi Gregorio, ut propterea rejecto Vinofridi nomine, Bonifacium, quaſi rem benè feciſſet, ipſum appellarit. Revertitur igitur majori authorirate munitus. Quæ vero qualiaque docuerit Germaniæ hic paſtor, & in Papæ Jurans verba, ex Hiſtoriâ temporis illius clare percipi poteſt, quæ nos docet corruptam tum valdè fuiſſe doctrinam, nominatim Eccleſiæ Romanæ adeo ut non bona & vera,

Seculum VIII. A. Chriſti.

vera, ſed mala & falſa prædicarit, ut majori jure & merito Germaniæ non paſtor ſed impoſtor & depopulator poſſit vocari. Miſſa pro mortuis inter cætera ab ipſo prædicata & celebrata primum fatente ipſo Gregorio Epiſtolâ (*q*) ad Bonifacium. Miſſa autem ipſa etſi planè non nova eſſet, quoad vocem, quoad contentũ tamen innovabatur quotidie. Adeo ut veterũ etiã illius temporis miſſa hodiernæ nõ ita ſimilis, quin novitatis accuſari & cõvinci poſſit: ſuper quo contento, & formis ipſis miſſandi, ut loquuntur, quæſtio erat, pro varietate enim regnorum eæ variabant. Et cum ſuis propriis hactenus gauderent Gallo-Belgicæ Eccleſiæ, aliæ aliis etiam ſuis peculiaribus utebantur. Gregorianam & Romanam obtruſit Germanis Bonifacius quæ peſſima licet ferventiſſimo ſtudio tamen promovebatur ſpecie quidem & prætextu unitatis, ut in fide ita & in cæremoniis, ſed reverâ animo dominandi fidei aliorum, imo toti Domini clero, quod utrumque Paulus & Petrus prohibent. Cæterum Bonifacio non pauci ſeſe oppoſuêre, ut ſcias non niſi invitis Germanis hæc introducta eſſe. Inter quos lego præcipuos fuiſſe, Adalbertum Gallum, Claudium cle-

q. Tomo 11. Concil. citante Authore Anonymo Theophagiæ Papiſticæ, in notis ad Epigramma. 10. pag. 35. in 4. *tot Delf* 1610.

Seculum VIII. Anno Chriſti,

2. Cor. 1. 24 1. Pet. 5. 3.

Clementem Scotum (qui peculiarem tractatum adverſus Bonifacium (r) conſcripſit, in Synodo Romanâ ſub Zachariâ 1. Habitâ, damnatum) Samſonem, alioſque, ſcholæ Pariſienſis doctores & Bedæ diſcipulos non degeneres aperte affirmantes *Bonifacium à Papâ ad reformandam Germaniam miſſum, non fidem in Chriſtum, ſed Antichriſtum docere unde* inquit qui hæc ad Ann. 750. tradit I· Wolfius lectionum Memorab. & recondit cent. 8. Tom. 1. *Albertus ille Fuldæ in carcerem raptus ibi interiit.* Verum quò certius conſtet hæc legenti Bonifacium, non Chriſti neque utriuſque teſtamenti litteras prædicaſſe neque doctum adeo fuiſſe uti ipſum Gregorius extollit claris documentis probabo 1. ipſum plus quàm fabulas hominum, doctrinam dæmoniorum ſcilicet docuiſſe 2. non doctum, ſed ignarum rerum humanarum & divinarum fuiſſe Quæ ergo Chriſto & utriuſque teſtamenti litteris repugnantia Docuit, hæc ſunt 1, Author eſt Diabolici iſtius Canonis, *Si Papa* quem legere etſi horreſcat mihi animus, tamen deſcribere & hîc exhibere neceſſarium judico. ut ſciant lectores non fruſtra nos eum diabolicum nominaſſe ita autem ille

(r) Geſnerus in Bibliotheca & alii.

(s) Extat Decreti parte 1. Diſtinct. 40. Can. 6. & in notis ad hunc canonem huic Bonifacio vindicatur.

Seculum VIII. Anno Chriſti.

ille ſe habet. (s)

Pi Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi & omnibus nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit primo mancipio gehennæ cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus, hujus culpas iſthic redarguere præſumat mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus, à nemine eſt judicandus : niſi deprehendatur à fide devius : pro cujus perpetuo ſtatu univerſitas fidelium tanto inſtantius orat, quanto ſuam ſalutem poſt Deum ex illius incolumitate animadvertit propenſius pendere. Quo canone hic Papæ Satelles, Papam à nullo judicari aut corripi poſſe ſtatuit, & dum eum omnes judicaturos aſſerit, alterum judicem fingit vivorum & mortuorum. Atque adeo mirum videri non debet tantam ipſi à Papâ datam poteſtatem. Cum ſedes Romana, ut nunquam fœdiorem paraſitum habuit, ita nec fideliorẽ miniſtrum, quare non immerito *Mulus mulum ſcabit*, ut eſt in veteri proverbio. 11. Huldericum legitimum Franciæ regem ex mandato Papæ exautoravit & depoſuit, Pipinum verò, regnandi cupidum, inauguravit

factum

factum hoc, ſecundum Aventinum anno currentis ſeculi quadrageſimo quinto, ſecundum annalium verò incertum Authorem, (t) quinquageſimo ſecundo, cujus verba, quod hiſtoriam illuſtrent & propoſitum confirment, haud gravabor adſcribere: ſic autem ille. DCCLI. *Pipinus miſſâ Romam legatione Zachariam Papam interrogat de regibus francorum ex antiquâ Merovingorum ſtirpe deſcendentium, qui reges quidem dicebantur, ſed poteſtas regni tota apud Majorem Domus habebatur, excepto quod cartæ & privilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum qui rex dicebatur plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens ſemel in anno à populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Majore Domus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent, populis adnuntiante ſicque Regem domum redeunte, cætera regni negotia Major Domus adminiſtrabat. Orat ergo ſibi decerni quis eorum juſte Rex debeat dici & eſſe, is qui ſecurus domi ſedeat, an ille qui curam totius regni & omnium negotiorum moleſtias ſufferat.* DCCLII. *Zacharias Papa ex authoritate ſancti Petri Apoſtoli, mandat Populo francorum, ut Pipinus, qui poteſtate Re-*

(t) a P. Pithæo cum Cæteris ejuſdem ætatis & argumenti Scriptoribus edit & loco collocat. pag. 5. exedit. Francof. in 8. Anno 1594.

Seculum VIII. Anno Chriſti. IↃCCLI.

IↃCCLII.

gia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldericus Rex, qui ultimus Merog vinorum Francis imperavit, depoſitus & in monaſterium miſſus eſt Pipinus vero in civitate Sueſſionum à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo in regem unctus, regni honore ſublimatus eſt. Hactenus ille. Non vero ſic, ſed contrarium docent Chriſtus & litteræ utriuſque Teſtamenti. Neque 3. item Miſſam aliaque ab ipſo prædicata dogmata ſtatuminant, ſed potius refellunt, ſic prius membrum demonſtravimus; ſequitur, alterum quod inſcitiæ arguit Bonifacium & patet Ex eo 1. habebat in miniſterio Collegam inter cæteros D. Virgilium, Divinarum humanarumque rerum perquam peritum. Qui cum eſſet inſignis Mathematicus, docebat, quæ quidem imperitis nova, ſed tamen, vera erant, eſſe ſcilicet, quos Græci ἀντίποδες vocant quia homines converſis inter ſe pedibus ſtant & nobis adverſa urgent veſtigia huic propterea magnâ animi contentione ſe opponebat Bonifacius proſcindebat eum tanquam hæreticum, & magnam egregio iſti viro moleſtiam creabat zacharias ipſe Papa, inſtigante Bonifacio, Virgilium tanquam hæreticum condemnavit; adeo Doctrina pollebant Dominus

Seculum VIII. Anno Chriſti.

nus & Servus, Pater & filius. 2. Erat in Bojariâ linguæ latinæ imperitus admodum Sacrificulus, qui Baptizans dicebat. *Baptizo te iu nomine Patria & filia & Spiritus Sancti.* Bonifacius ita Baptizatos, rurſus tingi volebat: Sidonius Laureacenſis in Bojariâ cum Virgilio ſe opponebat. Quare rurſum turbas excitabat, & cum illum ſequi nollent, rem omnem ad Pontificem, ſecundum litterarum tenorem, deferebat. Hic non pro ipſo, ſed Sidonio & virgilio reſpondit, rite Baptizatos aſſerens. Ita etiam Bonifacii inſcitia patet, ipſo Papâ judice (*u*). Cæterum nihil non moliebatur, quo omnes ſedi Romanę ſubjiceret, & recens tum nâtos, & ab illis item naſcentes errores, & à quibus hactenus immunes fuerant Franci & Belgæ, omnibus perſuaderet, atque adeo ſtrenue regni Antichriſtiani vires augeret, & fines extenderet. cui paratragœdo tantum ſe debere fatetur Ecclesia Romana, ut poſt mortem in ſanctorum catalogum relatus ſit. (*x*) Sed & in vivis cum eſſet, præmiorum ſatis reportavit, adepto, præter Rhenotrajectenſem, etiam Moguntiaco Archiepiſcopatu. Teſtantur hiſtoriæ gladio periiſſe adeoque Martyrem eum faciunt. ego eum inter inter Pontificiæ

(*u*) Hæc ex J. Aventino, lib. cit.

Seculum VIII. Anno Chriſti.

(*x*) I. Mol. ad 5. Junii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Eccleſiæ, non Chriſti martyres colloco. Locum martyrii alii in Africâ, alii & quidem plures Doccumi in friſiâ notant. De anno mortis item non convenit. Secundum ea quæ à nobis ſupra adducta ſunt anno quinquageſimo ſecundo in vivis adhuc erat. Quare Ubbonem Emmium ſequuti annum quinquageſimum quintum ipſi emortualem facimus, & quidem diem 5. Junii ſi Molano fides adhibenda. Plura qui de Bonifacio, etiam quæ forte non improbanda, cognoſcere cupit, conſulat Catalogum Teſtium veritatis lib. 8. Cap. *Epiſcoporum ſententiæ &c.* ubi ex Aventino aliiſque Hiſtoriam ejus nominatim adverſariorum Clementis ſc. Adalberti aliorumque fuſe proſequitur Illyricus.

Sic ergo vivente & docente Bonifacio ut ſeminati, ita & incrementum cepere plurimi Romanorum errores. Diſcipuli quoque & Collegæ, quos quinquaginta & duos numerant hiſtorici, (y) ſucceſſores item ejus, Papæ fideliores quam Chriſto, id unum operam dederunt ut iidem & crederentur & reciperentur hos inter deo Colendis imaginibus non poſtremus erat pro quibus jam antè ſub Conſtantino Syro, Papa in Concilio Romano decretum, *Sanctorum ima-*

(y) Molanus loco citato aliique

imagines depingendas (z) eſſe quin Gregorius III. anno Epiſcopatus ſui primo Concilium generale Romæ celebravit in quo (a) *imaginum ſanctarum veneratio approbatur*, ipſe autem, *Contradictores excommunicavit.* Quorum princeps erat & Dux Leo Imperator Conſtantinopolitanus. Qui memor ut præcepti Divini, ita Canonis 36. Concilii Eliberini Hiſpaniæ, quo *Placuit picturas in Eccleſiâ eſſe non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*, horum inquam memor, *ſtatuas* (b) *omnes & Divorum imagines è templis ejecerat, Papæ quoque mandaverat, ut idem faceret.* Cum autem, ut quæ Belgarum laudanda eſt virius æternitati conſecraretur, Huldebertus Bavonis apud Gandavenſes Abbas iconolatriam urgeret, Gandavenſes ſumma animi conſtantia ſeſe eidem oppoſuêre. Nam, ut I. Meyerus (c) ad annum hujus ſeculi quinquageſimum ſecundum nobis ſupra memoratum, tradit, *imagines ſanctorum ceu idololatriæ inſtrumenta execrabantur* ergo iconolatria improbata veteribus Belgis noſtris. Henricus Coſterius ad eundem hunc annum refert Huldebertum *virili animo ſeſe oppoſuiſſe Hæreſi Iconomachorum, quin*

(z) Platina in vita Conſtantini

(a) Author faſcic. Temporis Seculum VIII. Anno Chriſti.

(b) I. Sleydanus lib. de quatuor ſummis imperiis

(c) lib. 1. Annal. flandriæ pag. 9. Edit. Antwerp. 1561. referente Jacobo Baſelio I. Avo meo reverendo, *in ſyn bericht over de Bulle van Clemens de* VIII. *Cap.* 1. *in* 8. 1603.

imò ſanguinem fudiſſe pro vero & Chriſtiano imaginum uſu. In ſacris imaginum uſûs Chriſtianus nullus eſt. Sed omnis qui eſt ille eſt Idololatricus, & antichriſtianus adeoque non hæreſis eſt ei ſe opponere, ſed vera & laudanda iconomachia etiam privato licita. Quam advertat lector nos diſtinguere ab iconoclaſi ſive veterum ſive recentium privato nomine ſuſcepta quorum & hodie primus adhuc ignoratur author; & ſive notus ſive ignotus, nec nobis nec ulli Reformatorum unquam laudatus: quod tamen non ſine mirando, Dei judicio factum fuiſſe ſuo loco dicemus. Quam miſer ergo Martyr Huldebertus ille, imaginum, inquam non Chriſti? (*d*) quare non immeritò hujus Martyris nulla fit memoria in Eccleſia Gandavenſi, quod excuſare conatur Molanus eo quod ij ſolum martyres feſtis honorantur, *qui poſt ſua martyria miraculis claruerunt.* quod ut nunquam accidit ita non niſi ſerò credi cœptum. unde colligere in promptu eſt Belgas noſtros non niſi ſerò & toto orbe Pontificio facto, ſanctorum feſta celebrare incœpiſſe. Cæterum Huldebertus in motu & tumultu ob imagines excitato interfectus eſt, qui autem imagines propugnabant ſtabant à par-

(*d*) I. Molanus natalem ejus referr ad 4. Apr. Seculum VIII. Anno Chriſti.

à parte Pontificis, & qui eas oppugnabant, ſtabant à parte Conſtantini Leonis modò memorati filii: qui paternis inſiſtens veſtigiis ſtatuas & imagines divorum dejecit ob quam & alias cauſas imperium occidentis à Græcis imperatoribus tandem ademptum & in Germanos à Pontifice Leone III. tranſlatum eſt.

Cæterum deficiente cum magnitudine imperii etiam linguæ Romanæ non ſolum elegantia, ſed etiam notitia, ejus uſus neſcio ob quam rationem reſervatus in ſacris. Ne tamen hic obeſſet profectui diſcentium Synodus Turonis congregata, regnante in Franciâ Carolo, Pipini filio, ob corporis & animi magnitudinem, Magno cognominato, & tandem etiam ſalutato Romano imperatore ſtatuit (e) *ut Epiſcopus Homilias aperte tranſſferre ſtuderet in Ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam.* Quæ erat Francorum vernacula, *quò facilius cuncti intelligere* poſſent. Hinc Carolus Magnus ipſe cui religio & ſalus populi cordi fuit (& ſi nimium addictus Pontifici, non tam credo amore ipſius, quam quod ita tempora ferrent & idem imperii ſui magnitudinem augere ſolus fere poſſet (Quanquam ſint qui ignarum & invi-

IϽCCLXX
(e) Cap. 17. citante G. Perkinſo Demonſtr. Proble. cap. *lingua latina in Sacris aliiſque.*

tum imperatorem factum ſcribant, ut inter cæteros I. Wolfius lib. cit. & ſæpius citando ad annũ 800) animadvertens ſui regni & temporis & Epiſcopos & cæteros Eccleſiæ miniſtros, magis ſtudere linguæ alienæ veteri & decreſcenti reſervandæ, quam vernaculæ excolendæ hiſce verbis ſtatuit. *Vt Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas parochias Præſbyterorum fidem, Baptiſma Catholicum & miſſarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptiſma Catholicum obſervent, & Miſſarum preces bene intelligant, & ut Pſalmos digne ſecundum verſuum diviſiones modulentur, & Dominicam orationem ipſi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quiſque ſciat quid petat à Deo* (*f*) Plura ſtatuit idem quæ exhibere non gravabimur, ubi hæc aliaque non ingrata eſſe intelligemus, unde conſtabit imperatorũ illũ Germanum, &, nobis memorandum, multum cohibuiſſe innovandi ſtudium, & quamvis luctandum illi fuerit cum injuriâ temporum, & imperatoria dignitas in familiam ejus tranſlata ſuaſerit plus æquo favere Pontifici Romano, tamen in totum non ſtetiſſe à parte ejus, quin imò hodiernam pontificiorum doctrinam & praxin non convenire non ſolum

Seculum VIII. Anno Chriſti.

(*f*) Lib. 1. Cap. 66. legum Francicarum quas Anſegiſus Abbas Lobienſis Collegit & Baſilius Johannes Herold Baſileæ in fol. 1557. edidit titulo *Originum ac Germanicarum Antiquitatum libri leges. videlicet Salicæ* &c.

lum illi quæ ſeculo illo obſervabatur, ſed & ab eâ novitatis jure meritoque accuſari & convinci.

Nunc memoranda nobis Synodus francofurtenſis: cui omnium Carolo ſubjectarum Provinciarum Epiſcopi, adeoque Belgii noſtri interfuerunt quam ad annum nonageſimum quartum refert Annalium incertus author ſupra citatus in quâ inter cætera *Pſeudo Synodus Græcorum, pro adorandis imaginibus habita & falſò ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnatur* quod & notat author (*g*) Vitæ Caroli magni qui ipſe huic Synodo interfuit neque impedire potuerunt Legati Adriani Papæ, præſentes, quo minus in hanc ſententiam contrariam Pontificiorum, irent concilii patres.

IↃCCXCIV.

(*g*) ab eodem Pyheo Editus pag. 256.

Seculum IX. Anno Chriſti.

Nunc Seculum nonum videamus, quod tenebroſum admodum & errorum ferax fuit. *Non tamen adeo ſterile virtutum, ut non & bona exempla prodiderit*, ſicut inquit ille (*h*) habuit enim non paucos qui ſe erroribus & orientibus & creſcentibus opponerent, majori licet animo quam ſucceſſu, optimo tamē jure Primum locū obtineant Patres Concilii Moguntiaci cui etiam Galliæ Belgicæ Epiſcopi interfuêre qui iiſdem moti rationibus quas ſupra ad annum 770 recen-

(*h*) C. Tacitus nutio lib. 1. Hiſtor.

IↃCCCXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

recenſuimus ſtatuerunt *ut qui Catholicam fidem & orationem Dominicam, aliter diſcere nequit in ſuâ linguâ diſcat* (i) ita proſpectum magis ac magis Belgis & Germanis; ut in veritate proficerent & confirmarentur

(i) Cap. 17. Citante G. Perkinſo loc. cit.

Verum enim verò; non obſtante hoc aliiſque adjumentis, quæ de gratiâ Dei, ejus prædeſtinatione & cognatis fidei articulis hactenus bene ſenſerant Germanicæ Belgicæque Eccleſiæ, tandem etiam cum Italicis de iiſdem docere inciepiebant ex corrupto judicio humano carni quidem grato, non autem convenienti potentiæ gratiæ aut juſtitiæ Divinæ, neque item Scripturæ veritati. Hæc autem qualia erant non probabantur Goteſcalco cuidam, Monacho Orbacenſi & Rhemenſis Eccleſiæ Præſbytero Erat is Auguſtinianæ Doctrinæ ſtudioſiſſimus, oriundus *è Galliâ Belgicâ*, ut unanimiter loquuntur, qui de ipſo ſcribunt quod & nominis etymon evincit *Gott* enim Germanis & Belgis veteribus ſignificat *Deus* & *ſchalck*, *ſervus*, hinc *maerſchalck* ſervus equorum, item *peritus* quod olim quidem in bonam partem hodie vero non niſi in malam ſumitur, ut & vox *Tyrannus* hinc & hodie veterator *Schalck* belgis nominatur ſive

Seculum IX. Anno Christi.

igitur

igitur Goteſcalci nomen per ſervum, ſive per peritum interpreteris, dictio Belgica eſt, *ſervum Dei* deſignans, aut *bene in rebus divinis verſatum* quem Græci θεόσοφον vocant. Eſt ergo Belga Goteſcalcus & ideo hic memorandus: floruit anno currentis ſeculi quadrageſimo quinto. Cæterum refertur ſententia ejus tanquam hæretica & congruens veterum Prædeſtinatianorum, ita vocabantur olim per contemptum, qui de prædeſtinatione Dei recte ex verbo docebant, quare & malè & hæretici audiebant, & etiamnũ ita audirent, niſi Reverendus & eruditus Armachanus ille, Archiepiſcopus & Hyberniæ primas, Jacobus Uſſerius (*k*) ab hac maculâ eos vindicaſſet: atque ille quidem ex noſtris. Ex Pontificiis ipſis idem fecit Cornelius Janſenius Yprenſis Epiſcopus, in opere illo famoſo & ingenti, quod *Auguſtinus* ab ipſo vocatur in quo quia de prædeſtinatione ex ſententiâ Auguſtini tractat, *Hiſtoriam Pelagianam* octo libris præmiſit. In quibus lib. 8. Caput ult. hoc lemma habet. *De Prædeſtinatianis & eorum hæreſi: Non eſſe hæreſim, ſed calumniam, quâ Maſſilienſes S. Auguſtini doctrinam infamarunt* Quanquam ergo qui Prædeſtinatiani audiebant, bene &

IↃCCC. XLV.

(*k*) Hiſto ic Goteſchalci & controverſiæ prædeſtinatianæ Cap. 1. Dublinii 1631. in 4.

Orthodoxe de prædeſtinatione ſentirent ſcribuntur, tamen docuiſſe, (*l*) *quod mala opera hominibus à Deo electis prædeſtinatis non obeſſent, neque fugienda eſſent: Reprobis autem bonis operibus non ſtudendum, quia nullo modo iis confirmari aut juvari poſſent.* Quaſi ſcilicet conjungenda dividerent, dividenda conjungerent & ſubordinata opponerent quæ nec Deus, nec illi ipſi diviſa, conjuncta aut oppoſita volunt. Hæc tamen Goteſcalco objecta quia prædeſtinationem Dei ut immotam, ita nec ex prævifis operibus aut fide, ſed à merâ prædeſtinantis gratiâ dependentem ex verbo Dei docebat ab hoc errore (cujus non Prædeſtinatiani, vulgo dicti Prædeſtinatores, ſed eorum & veritatis adverſarii, patroni ſunt: dum hunc tanquam abſurdum, minimè tamen fluens, trahunt ex orthodoxa de prædeſtinatione Dei ſententiâ. quem Libertini & fœdæ vitæ homines praxi confirmant) ab hoc, inquam, errore, ſi Goteſcalcum alienum fuiſſe, rectè item de prædeſtinatione Dei ſenſiſſe probauero inſtituto & etiam lectori noſtro hoc præfatus, non remorari neque deterrere nos debere, impactum hæreſios crimen, depravatamque ejus ſententiam, aut ut mitius dicam male intelle-

(*l*) L. Danæus Comment § 2. ad Caput 88. Auguſtini de hęreſibus. Seculum IX. Anno Chriſti.

tellectam, Concilii Moguntiaci Patribus quod anno hujus ſeculi undequinquageſimo adverſus ipſum celebratum. In quo ut damnatus, ita & convictus eſſe ſcribitur à Rabono Mauro, loci Epiſcopo. Nunc Goteſcalci ſententiam videamus eam in ſequentia diſtinguimus capita I. *Datur prædeſtinatio, cujus partes ſunt Electio & Reprobatio,* II. *Ideoque Chriſtus pro omnibus omnino hominibus in individuo mortuus non eſt.* III. *omnes electi reverâ vitæ æternæ participes fiunt.* IV. *Adeoque nemo eorum e manibus Dei eripi poteſt, aut in æternum perire.* Quæ omnia ex Flodoardi (*m*) verbis clarè perſpici & colligi poſſunt. Illa autem quia omnibus obvia nos iis exſcribendis ſuperſedemus. Porro Goteſcalcus ipſe cum eruditis & piis ſui ſeculi viris contulit, præſens quidem ore, abſens verò litteris. Et quia ut ſubtiliores ſolent plerumque in quæſtionibus enunciandis & non neceſſariis determinandis, curioſulus & audaculus paulo erat, hinc rectè, ut ſolet venerandus & eruditus ille ſenex Renatus Deviræus, qui nunc in pace quieſcit & aurâ fruitur æthereâ, præfatione ad Lupum Servatum, de quo mox, obſervat, ut in iis, inquibus bonam alioquin foveret cauſam, durius ali-

1349.

(*m*) Hiſtoriæ Rhemenſis lib. 3. cap. 14. referente A. Mellino Præfatione, ad Martyrologium magnum quod Belgice prodiit in folio, Dordraci. 1619.

Seculum IX. A. Chriſti.

aliquando loquutus fuerit, quam prudentiores viri ſolent, & rei altitudo permittit, adeoque quoſdam in ſe exacerbaverit: qui propterea, etiam quod minus bene ipſi vellent, ejus dicta aut malâ fide retulerunt, aut ſiniſtrè ſunt interpretati. Hinc inter hæreticos recenſitus, non ſolum ab adverſariis ſuis; ſed & illi ipſi qui à parte ejus ſteterunt & hyperaſpiſtæ fuere, nominantur & habentur adverſarii Goteſcalci. Exemplo & omnium loco eſto Lupus Servatus, Præſbyter. qui Judicio antiquitatis minimè fucato *vir Doctiſſimus* audit. Vixit autem iiſdem hiſce quibus hæc agitabantur temporibus, forte etiam loco non procul diſſitus, Hactenus quidem inter Goteſcalci Antagoniſtas habitus, præcipuus & maxime formidabilis, cum tamen reverâ patronus & hyperaſpiſtes ejus fuerit, ut modo nominatus & non ſine honore iterum nominandus Deviræus doctâ & egregiâ ſuâ præfatione ad iteratam opuſculorum ejus editionem contra Duacenos Theologos, quorum curâ primum lucem viderunt, luculenter oſtendit: ut mirum ſit illos probare ſententiam Lupi Servati, Goteſcalci è contra improbare doctrinam. Sed opuſſculorum titulos & contenta videamus.

Sunt

Sunt ergo, *de tribus Quæſtionibus libero Arbitrio, Prædeſtinatione, & ſanguinis Chriſti taxatione ſuperflua, liber ſingularis. Collectaneum, duæ item Epiſtolæ ad Carolum regem una, ad Hincmarum Epiſcopum altera, de eodem argumento* in quibus breviter, ſolidè & orthodoxè controverſias iſtas, & pro communione earum inter ſe alias his annexas, tractat. Controverſiæ autem de gratiâ univerſaſali, ut vocant, litem omnem dirimit, dum Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe negat, & locum 1. Tim. 11. maximè controverſum ſane explicat, & ab abverſariorum falſâ interpretatione vindicat, prolato non uno nec incommodo loci iſtius interpretamento. Et arridet dum non ſemel ponit ſed ſæpius inculcat, illud præ aliis, quo per *omnes homines*, *omne genus hominum* (*n*) intelligit. Cæterum in libello S. Scripturæ utitur authoritate, in collectaneo autem S. Patres ſententiæ ſuæ patronos, profert, in Epiſtolis verò utrumque facit, ut ſcias non unius hujus aut hominis aut ætatis fuiſſe doctrinam Digna autem ſunt omnia hæc quæ legantur. adeo ſuavitate & perſpicuitate delectant & erudiunt lectorem ſuum. Ego excerpta ſub finem libri darem,

Seculum IX. Anno Chriſti.

1. Tim. 11. 4.

n Quæſt. 11. de Prædeſtinatione Quæſt. 3. de Sanguinis Chriſti taxatione, pag. 34, 56, 57. ex Edit. anni 1650. in 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

darem, ſi aut rarus aut ingens Servatus ipſe eſſet. Et quid dicam? totus deſcribendus mihi foret: cum nihil ſuperfluum in eo occurrat & omne quod tradit, ſit præclarum. Libet tamen hic adſcribere *Lupi Servati Præfationem.* tum quod de tempore, methodo & occaſione ſcriptionis erudiet lectorem, tum quod lucem magnam Hiſtoriæ hujus temporis, & Sulpitio noſtro commendationem adferet non parvam. Ita ergo ille præfatur, *Quæ nobis utilia judicamus, ſi communicemus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cujus præcepto, devoto reſpondemus obſequio: & ſi quod jam accepimus ſincera benevolentia impertimur; quæ necdum accepimus, ejus munere conſequemur. Hæc mecum reputans, cum poſt devictas perſecutiones, & falſas opiniones, jam inde ab initio incarnationis Domini exortas* DCCCXLIX*um ab eadem incarnatione agente annum Eccleſia in pace, quam ei reliquit Salvator, cum ea futurus, juxta ſuæ pollicitationis fidem, uſque ad conſummationem ſeculi, comperiſſem primum in Italia, deinde in Gallia ſi non concuti fidem, turbari certe quorundam intentionem, quod de libero arbitrio & de prædeſtinatione bonorum & malorum, ac de ſanguinis taxatione vulgo quædam inaudita jactarentur; harum*

Seculum IX. Anno Chriſti.

harum rerum qui per ſe non poſſent, optavi ut per me fierent certiores. Hinc in au- *xilium vocato Deo, à quo non eſſe ſolum, ſed etiam noſſe percepimus, ad ejus primum authoritates, quibus omnium conſenſus fidelium acquieſcit, me contuli. Deinde quid earum clariſſimi tractatores & defenſores invictiſſimi ſuper memoratis quæſtionibus ſenſiſſent, anxie diuque ſcrutatus ſum. Quorum ſole clariora opera, divinis irradiata eloquiis ſi omnes vel intelligerent, vel haberent, jure deberem ſuperfluitatis aut arrogantiæ argui, qui vel eadem verbis aliis ingeſſiſſem, vel quod ipſi non valuiſſent, me implere poſſe confiderem. Cum vero utrumque multis; alterutrum quibuſdam; neutrum forte nonnullis obtigerit; alterum vel neutrum habentibus ſic adeſſe contendam, ut utrumque poſſidentes, ſi tamen ſua cognitione, hæc mea qualiacunque ſunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum confidens, quod propoſui hinc expedire conabor.* Hactenus præfatio. In qua præ cæteris animadverti velim Servatum aſſerere, quod 1. *in Italiâ primum, deinde in Galliâ* turbata ſint fides & intentio quorundam ut pateſcat non niſi ex meridie & auſtro ſpiraſſe notũ, errorum & malorum & in Septentrionem hunc

Seculum IX. Anno Chriſti.

hunc noſtrum (unde ſemper aliquid boni) imbris imò turbinis inſtar, ſe effudiſſe ut non immeritò majores noſtri dixerint, *hoe naerder Roomen, hoe erger Chriſten* quod vulgus quidem ad mores, ego etiam ad Doctrinam refero de quo tamen Proverbio & aliis poſtea dicendi locus erit 11. illa quæ vulgo jactabantur & ipſe refutat, eſſe *inaudita*, adeoque ut mala ita & nova. Cætera quæ Lupum Servatum ſpectant, ex Epiſtolis authoris, item ex opuſculis ejus, præmiſſis admonitionibus & præfationibus deprehendes. Nunc hiſtoriam Goteſcalci perſequamur. Diximus eum à Synodo condemnatum non obſtante quod recte ſentiret & ſententiam ſuam eidem exhibuerit, peculiari *tractatu* comprehenſam qui quidem licet nobis non viſus, tamen ex dictis conſtat convenire Goteſcalcum, ut cum ſcriptura ita & cum ex eâ docentibus reformatis. Quod & innuit ille qui notas marginales operi Annalium Aventini adſcripſit ita enim lib 4. in margine legitur. *Godeſcalcus hæreticus. Non meliora hodie Reformati docent.* Quare qui & indicem iſtius operis confecit haud aliter loquitur, *Godeſcalcus hæreticus eadem, quæ Reformati, opinabatur.* Sed ut ſcias quare hæreticus audiat,

Seculum IX. Anno Chriſti.

audiat, lege ipſum Aventinum loco citato. *Eodem* inquit, nempe Moguntiaco, *Concilio Godeſcalcus genere Belga, profeſſione Sacrdos, qui docebat homines quoſvis inevitabili lege & neceſſitate providentiæ divinæ, ſive inferis ſive ſuperis deſtinatos eſſe, à Decuriis Pontificum noſtrorum exploſus, ad Hincmarum Rhemorum, unde oriundus erat Epiſcopum traducitur: prius ſacramento dicto, ne ultra Franconiam orientalem unquam, regnumque Lodovici adeat.* Hactenus Aventinus. Si autem ipſi Synodi Patres ita judicant de Goteſcalco, nemo Aventino hæc ex errore illo ſcribenti iraſcatur, ſed ignoſcat potius homini minus de eâ re inſtructo. Annalium incertus Author non ſemel jam citatus ad annum DCCCXLVIII Concilii jam memorati Moguntiaci mentionem facit, & de Goteſcalco in hunc modum ibidem ſcribit; *Goteſcalcus quoque quidam præſbiter de prædeſtinatione Dei prave ſentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædeſtinatos eſſe affirmans, in conventu Epiſcoporum rationabiliter, ut plurimis viſum eſt, convictus & ad proprium Epiſcopum Iugumarum Remis tranſmiſſus eſt, prius tamen juramento confirmans, ne in regnum H. Ludovici ultra*

Seculum IX. Anno Chriſti.

tra rediret. Sed pace iſtius viri dixerim Goteſcalcum non pravè de prædeſtinatione ſenſiſſe, ſed ipſum cæteroſque ut de Goteſcalco ita & de prædeſtinatione falſa credidiſſe. Melius facit, cum ipſum *rationabiliter* convictum non ſimpliciter ſcribit, ſed *ut plurimis viſum eſt.* Dubitavit ergo, utrum convictus argumentis à ratione & authoritate divinâ an verò à ſophiſmatis & comminationibus
Rom. 1. 18. petitis: quod poſtremum facere ſolent, qui veritatem in injuſtitiâ detinent. Qui hiſtoriam Goteſcalci perſequuntur, addunt ipſum inter adverſarios habuiſſe proprium Epiſcopum Hincmarum, item Johannem Erigenam, cognomento Scotum & ſcriptis utrimque diſceptatum fuiſſe. Verum habuit patronos quoque & ſequaces, præter Lupum Servatum modò memoratum, Scotos quoſdam in Galliæ iſtius parte degentes & docentes. Sed & favit ei multum Remigius,
cIɔccc-Lv. Archiepiſcopus Lugdunenſis. Viennenſis item & Arelatenſis Epiſcopi ab ejus ſententiâ non plane alieni. Procurante autem Remigio, Valencenæ apud Han-
Seculum IX. Anno Chriſti. nones Belgii celebratur Concilium; ut cauſa recognita certius quid ſtatui poſſet. In hoc autem nec Goteſcâlcus, nec antagoniſtæ ejus in totum damnantur.

Quod

Quod ab utriſque falſò doceri putant patres rejiciunt, cætera probant, non determinatâ illâ quæſtione, utrum Deus omnes & ſingulos homines ſalvos velit fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire quia inter eos de loci Paulini controverſi ſenſu non conveniebat: quæ tamen præcipua erat, Goteſcalco, ut orthodoxi hodie, negativam, aliis affirmativam defendentibus, ſtatuente interim Synodo, *Chriſtum non pro omnibus ſed pro ſolis fidelibus mortuum eſſe.* atque ita non compoſita lis illa ab eo concilio, quod ei finiendæ erat deſtinatum. Quia autem Synodus medio ibat condemnaverat non ſolum quædam Goteſcalci, ſed & Scoti, imo Concilii ipſius Lugdunenſis quod paulò ante adverſus Goteſcalcum, ab Hincmaro celebratum erat. Hincmarus autem ægre hoc ferens, Cæſare etiam jubente adverſus Canones Concilii Valencennenſis ſcripſit: atque ita nouæ turbæ excitatæ quæ ut tollerentur Remigius tertiam deſiderabat Synodum; vel, ſi id obtineri non poſſet, Colloquium, in quo modeſte controverſia finiretur. Sed fruſtra. hinc utrinque altum ſilentium. Verum ad tempus tantum, ſtatim enim ortum de novo quaſi diſſidium, quod tandem tame ex tinctũ

eſt:

Seculum IX. Anno Christi.

eſt: licet indeterminata quæſtio controverſa manſerit; libertate ſentiendi quidem unicuique permiſſa non autem docendi quin nec vivendi, Goteſcalco, quem caſtro incluſum in eodem non ſolum inediâ & ſqualore diu multumque vexatum, ſed & flagris, à monachis, in eum finem ſubornatis, cæſum, adeoque diem ſuum miſerè obiiſſe, & lento ſed duro martyrio coronatum, tradunt. (o) Nunc ad alia tranſeamus Jam cum viribus etiam Paparum audacia ceperat incrementum: adeo quidem, ut eos qui non in totum ipſis obedirent, & vel minimum refragarentur, ſtatim anathematis fulmine percuterent; de thronis deturbantes, Eccleſiaſticos ſuâ dignitate ſpoliantes. Sed ex innatâ Belgis libertate his non obſtantibus, viriliter iis uſurpationibus ſe oppoſuêre, & fortiter illatam injuriam tulêre, Belgarum Epiſcopi, ab ipſo Nicolao Papâ exautorati. Verum Hiſtoria ab initio repetenda eſt. Lotharius Imperator, Caroli Magni ex Lodovico Pronepos, à quo Lotharingia nomen & decus ſuum accepit, (p) captus amore Waldradæ cujuſdam, conjugem ſuam legitimam Thetber-

(o) Plura quidem Goteſcalco cognoſcere cupit adeat I. Uſſerii hiſtoriam modo memoratam cui ſubjunxit duplicem Goteſcalci confeſſionem.

(p) S. Munſterus Coſmographiæ univerſalis lib. 3. qui agit de Germania, *Tit.* Catalogus & ſucceſſio omnium Cæſarum à Carolo M. ad Carolum V. D 3. in Fol. Baſil. 1550.

bergam odio cœpit habere, atque de eâ repudiandâ diu multumque anxius cogitavit nec defuit odii & repudii cauſa. inceſti quippe accuſabatur. Quare per alios primum, mox ipſe ſuper eo conſulit Guntherium, coloniæ Agrippinenſem Epiſcopum, qui ſive quod verum Thetbergæ objectum crimen deprehenderet, ſive quod Waldradam, quam alii filiam, alii neptem ejus fuiſſe dicunt, ad imperialem thorum promotam cuperet, operam ſuam Lothario pollicetur, eâque de re Tetgaudum, Trevirorum Archiepiſcopum convenit. Res eo deducta eſt, ut hâc de cauſa & indiceretur & celebraretur Mediomatricum in urbe, quæ hodiæ Metis vocatur, omnium Epiſcoporum, qui ſub regno Lotharii erant, conventus, uno Hungario Trajectenſi excepto, qui propter morbum adeſſe nequibat. In hoc Thetberga damnatur, dato ei repudii libello Ita Lotharius ſine uxore & celebs vivebat. qua tamen opus habebat, niſi ſine ſucceſſore decedere vellet. Ergo ad Aquas Graneas, Aquiſgranum hodie vocant, iterum conveniunt, inque hanc ſententiam decernunt, *Quoniam Thetberga inceſti polluta, nunquam juſta uxor Clariſſimi Regis noſtri fuit, ac ne eſſe quidem unquam*

Seculum IX. Anno Chriſti.

quam ob crimina, quæ ultro confeſſa eſt, poteſt, Principum pientiſſimo, relligioſiſſimo juxta Divi Pauli & Magiſtrorum relligionis noſtræ placita, alıud matrimonium indulgemus. Quod bene, an malè factum ſit, non diſputamus; ſed rem uti geſta eſt, narramus. Hæc autem facto & promulgato decreto, ilicò Waldrada Regina ſalutatur Quod ægre ferentes Thetbergæ fratres, rem ad Nicolaum Papam deferunt, deque injuria ſorori illata queruntur. Mittit ille legatos, in hanc rem inquirendi cauſa. Conveniunt Lotharium qui de conſilio myſtarum ſuorum id feciſſe dicit, eorumque authoritate ſe tuetur. Rogantur illi, factum non negant, ſed probant; ut ſua quiſque defendit. Mittuntur omnium nomine Guntharius & Thetgaudus Romam, ut Papæ, rem, uti geſta erat, exponant purgentque ſe à calumniis quibus impetebantur. Papa Synodum cogit coram qua rem totam narrant, tuenturque à ſe ſuiſque geſta quæ Papæ ſuiſque minimè probata ſed tanquam ſcelerata & impia, reſcinduntur. Guntharius, Thetgaudus ſcribuntur, jure ut novo, ita & nullo. Hi reverſi ad regem & ſuos Pontificem procacitatis, ſuperbiæ & injuſtitiæ accuſant. An majori temeritate & audacia pontifex

Seculum IX. Anno Chriſti.

fex

ſex eos damnarit, an vero fortitudine brutum illud fulmen ſpreverint, haud facile eſt dictu. Ergo opponunt ſeſe, Papæ hi Epiſcopi. Quoniam verò ab Authore incerto Annalium jam ſæpius citato ad annum currentis ſeculi ſexageſimum & tertium *Galliæ Belgicæ Archiepiſcopi* & ab Aventino ſimpliciter *Epiſcopi Belgarum* appellantur, ut reverâ fuerunt hujus facti anteſignani, ideo hic memorandi. Lothario enim huic juxta concordiæ formulam inter cæteras provincias Gallia Belgica ceſſit (*q*) Cæterum ſilentio haudquaquam prætereundum eſt, quod Papam, vocent *Tyrannum qui ſe vocitet quidem, ſervum ſervorum ſed contendat eſſe Dominus dominorum, & fucus ſit factus Chriſtianis. Quod urbs, quam inhabitat, ſit Babylonia, falſoque glorietur ſe nunquam erraſſe, neque errare poſſe.* Sed hæc melius cognoſcentur ex ſcriptis utriuſque partis quæ ex utroque authore modò citato, infra ſuo loco & ordine ſubjiciemus & Lit. A. legenda exhibebimus. Nos hinc ſatis clarè doceri affirmamus, ab initio haud probatam fuiſſe Belgis noſtratibus Papæ uſurpationem: quâ ſe ſupra reges etiam extollit. Sed hiſce non obſtantibus rurſum excommunicavit Epiſcopos, Lotharium-

Iɔccc-LXIII.

(*q*) Idem Munſterus loco cit.

Lit. A.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

que fulmine percuſſit. Quod ut Lotharius declinaret, ita animum regis occupaverat hæc larva, recipit Thetbergam. quæ poſtea rurſum adulterii rea in Galliam ipſam ad Carolum regem fratrem Lotharii aufugit, perque litteras à Pontifice petiit, ſibi ut liceret vivere privatam & monaſticam vitam. Quod non permiſit ei, niſi idem Lotharius faceret. uti & tandem fecit. adeo cupit & efficit ut obediant ſibi etiam reges quos privari mavult regno, quàm ſe authoritate.

Seculum IX. Anno Chriſti.

Verum ut hic Nicolaus in promovendo Antichriſti regno, & ſtabiliendâ tyrannide, minimè ſegnis fuit, ita & non unum inter Germanos deprehendit adverſarium Præter jam memoratos ergo alium audi, nec minoris eruditionis & authoritatis, inque re, ponderis majoris. Sic ſe res habet. Nicolaus hic præ cæteris prædeceſſoribus ſuis legem cælibatus, Eccleſiaſticis latam, obſervari voluit. Neque id in dioceſi tantum ſuâ, ſed & paſſim in occidentis Eccleſiis, quibus ſe præeſſe jactitabat. Miſſis ergo ad eas earumque Epiſcopos Legatis, illam ferri & obſervari mandabat. Sed nõ ita videbatur pleriſque, ad quos & Legati & Litteræ veniebant. Extra Germaniam non ibimus, ne extra oleas vagemur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

mur. Eſt Auguſta, aliis Auſpurgum, ditionis, quæ Rhætiæ primæ olim, nunc Sueviæ nomine vocatur civitas libera & imperialis, ut loquuntur, vel eo nomine clara, quod anno 1530 in comitiis ibi tum celebratis Carolo V. oblata & accepta ſit, Principum & civitatum Germaniæ Proteſtantium confeſſio inde Auguſtana vocata. Eccleſiæ in hac civitate tum collectæ circa hoc tempus præerat Huldericus. aliis Udalricus dictus nonnullis Ulricus, cognomento I. eo quod eidem Eccleſiæ multis annis elapſis ejuſdem nominis præfuerit alter Huldericus propterea II. cognominatus. Qui cum à Chronicæ compendioſæ Authore (r) diſertis verbis *ſecundus* ejuſdem nominis & loci Epiſcopus nominetur, atque & anno ſalutis 978 diem ſuum obiiſſe ſcribatur, atque adeo idem procul dubio ſit qui à Frodoardo (s) in Chronico *Odelricus Auguſtenſis* vocatur, & Synodo Eglemenſi univerſali anno 948 interfuiſſe dicitur, non eſt quod adverſarii maculam, ab Hulderico in Epiſtolâ Eccleſiæ Romanæ adſperſam, ex relatione infanticidii à celibatûs patronis obſervatoribus, monachis, abluere conantes, dicant, aut hunc Huldericum non extitiſſe eo tem-

Seculum IX. Anno Chriſti.

(r) Extat Tom. I. Antiquorum Germaniæ Hiſtoricorum, Editore Joh. Piſtorio, verba ipſa leguntur in Indice Authorum à N. Vignerio in Theatro Antichriſti Gallice Edito citatorum V. Ulrich in 8. Geneuæ. 1613.

(s) Extat lib. Annalium & Hiſtoriæ francorum à Pitheo Edit. & ſæpe cit. pag. 120.

tempore quo ſcripta dicitur Epiſtola, aut, quod ſimplicibus facilius perſuadere ſe poſſe putant, nunquam ſcriptam eſſe Epiſtolam ipſam, neque factam oppoſitionem, legis cælibatus causâ. Cum & S. Munſterus (*t*) qui ex noſtris quod Huldericum non niſi anno 903. electum ſcribat quoad primum membrum, patrocinari illis videtur, alterum diſertis verbis refellit ſic enim ille, *Quinquaginta perpetuis annis Auguſtenſem Eccleſiam adminiſtravit tanto zelo, ut Romano Pontifici Sacerdotibus ſuæ diocæſis legitimas uxores adimere volenti, non ſtatim acquieverit.* Verum de priori membro poſtea deſpiciemus: alterum autem ex nudâ rei relatione & Epiſtolæ ipſius inſpectione aliiſque per ſe corruet. Nunc rem ipſam narremus. Hic ergo Auguſtanus Epiſcopus Huldericus I. *Nicolao Papæ* (ita titulus habet) *de continentiâ clericorum non juſte, ſed impiè, non canonice ſed indiſcretè tractanti* peculiari *reſcripto*, ſeu Epiſtolâ reſpondet. Cujus ſumma huc redit, *hanc ipſius de cœlibatu clericorum ſententiam contra Euangelium, inſtitutionẽ & Spiritus S. dictatum, contra plurima veteris & Novi Teſtamenti, exempla, contra judicium ſapientum & Doctorum, Paphnutii imprimis in Synodo Nycena prolatam &*

(*t*) Coſmographiæ univerſalis lib. 3. de Germania Cap. de Epiſcopis Auguſtanis

Seculum IX. Anno Chriſti.

& approbatam ſententiam eſſe. Eſſe item hæreſim: ſtupri, adulterii, multorumque malorum malum, infanticidii imprimis, deteſtandam cauſam & occaſionem. Quod poſtremum ut probet, refert Gregorio Papæ, qui jam ante hanc legem obſervari voluit & ſtrenue juſſit cum in vivario ſuo piſcatum ſuos miſiſſet, pro piſcibus plus quam ſex millia capitum infantium à clericis natorum & cœſorum oblata fuiſſe. Has autem litteras integras infra ſubjicere viſum ſuit, tum fidei firmandæ tum memoriæ conſervandæ causâ. Lit B. Quarum quidem litterarum eo libentius mentionem facimus quia ſub earum finem editionis nempe Baſilienſis, Anno. 1555 Curâ Wolphangi Wiſſenburgii factæ, hæc quæ vides leguntur verba, *inventa eſt hæc Epiſtola in quâdam Bibliothecâ oppidi Veteris aquæ Germanice* Altwatter *in Hollandiâ inferioris Germaniæ provinciâ.* Ergo hæc tanquam cymelium quoddam ibi adſervata cui proculdubio debemus, quod lucem illa videat, neque uti condemnata (*u*) à Gregorro VIII. in Concilo Romano Anno 1072 ita perierit. Antequam autem ad alia tranſeamus, paucis inquirendum de anno quo Epiſtola aut ſcripta aut miſſa fuit. Si Ænææ Sylvio

Lit. B.

(*u*.) Bertholdus Preſbyter Conſtant nus in Continuatione Hermanni contracti citante N. Viguerio loco lit. r. preced annotatò.

(*x*) fides habenda, vivebat ejus autor anno nongenteſimo, præſidebat vero adhuc anno ætatis ſuæ octuageſimo tertio. At verò ex Hiſtoriâ certò conſtat Nicolaum Papam, ad quem Epiſtola eſt miſſa jam è vivis deceſſiſſe, cum Lotharius rex, de quo ſupra, Romam, *ſe purgandi cauſâ*, ut Aventinus loquitur, vel ut Author incertus Annalium habet, *ut Waldradã cum conſenſu & favore Nicolai Pontificis matrimonio ſibi conjungeret.* Quod anno ſeculi Sexageſimo octavo cum acciderit, aut hunc proximæ præcedenti, aut ſaltem anno ipſo eodemque miſſa fuit. Si verò poſt illam ſcriptam diu ſupervixit Huldericus fieri poteſt ipſum anno nongenteſimo adhuc vixiſſe, cum conſtet ipſum attigiſſe annum ætatis tertium ſupra octogeſimum adeoque cum Nicolao Vignerio anno hujus ſeculi ſexageſimo floruiſſe credimus.

Sed ad alia & ſequens ſeculum tranſeamus. Huic ut ut non defuerint fidei virtutiſque exempla, tamen quia & corruptiſſimum & obſcuriſſimum fuit aut alto ſilentio prætereundum, aut deflendum,

Seculum IX. Anno Chriſti.

(*x*) In Germania ſua, ubi Auguſtæ vindelicorum, nam & ſic antiquitus & hodie etiam nominatur, mentionem facit Ulrici & ejus Epiſtolæ ſic autem ille: *Tranſi-* IↃCCC-LXVIII. *vimus per kemptam Memmingam & Auguſtam, ubi S. ulricus qui Papam propter concubinas ſacerdotum reprehenderat, reſidebat qui vixerat circa annum* 900, cit. J. Wolfio Lect. memor. Centen. XV. pag. 852. ad Annum 1457. Seculum X. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

dum non laudandum. adeo corruptus Eccleſiæ, etiam Romanæ, ſtatus. Quod malo te legere verbis Cornelii Hornenſis Batavi Autoris faſciculi temporum, profeſſione Carthuſiani, quam meis Sic autem ille (*y*) *Charitas refriguit valde circa iſta tempora in omni ſtatu, & iniquitas plus ſolito cœpit abundare. Iam enim gladius & hæreſes ex magna parte ceſſarunt ſed ambitio & avaritia & cætera vitia fræna laxantes, amplius quam illæ hæreſium perſecutiones Chriſtianam fidem perſequebantur. Heu, heu, heu, Domine Deus quommodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in ſancta ſede Apoſtolica, quam uſque huc tanto zelo cuſtodiſti legimus ſcandala? Quales contentiones ſanctorum, ſectæ, invidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones? ò tempus peſſimum! in quo defecit ſanctitas, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Veruntamen poſt hæc tempora fuerunt multi ſancti Papæ. Sed non ſic continue & in tanto numero, ſicut in præcedentibus. Eia quis conventus quæ congregatio: quis homo jam ſecurus erit ſi ſic defecit ſanctitas primitiva.* Et paulo poſt *Sciſma nonum & ſcandaloſiſſimum fuit, ſecundum quoſdam inter Formoſum & Sergium. Nam Sergius à Formoſo*

(*y*) pag. 50. à & B. ad Annos 894. & 904 ex edit anni ni fallor 1474. in fol.

Seculum X. Anno Chriſti.

reprobatus à Papatu, fugit in franciam, & tandem Papa factus, Romam revertitur ſecrete & Chriſtoforum cepit & Formoſi corpus effoſſum dehoneſtavit & quæ plura ibidem ſubjiciuntur, nominatim de contentionibus & altercationibus propter pontificatum, inter octo ibi nominatos pontifices, quos brevi tempore dicit ſediſſe, neſcit autem *aliquid notabiliter de iis dicere*: quia inquit, *non niſi ſcandaloſâ de iis repperi, propter mandatam in ſancta ſede Apoſtolica contentionem unus contra alium & ſimul inter ſe mutuo.* Non abſi-
Iↄccccxi milia his, ſed tribus verbis quod ajunt;
(z) Ad tradit & Amandus zivizeenſis (z) *An-*
Annum *no Domini* 911 *papa* 124 *Anaſtaſius* 3.
Seculum X. Anno *annis* 2. *O Quanta ſcandala, quantæque*
Chriſti. *ambitiones hiſce fuere temporibus in ſede Apoſtolica.* Hæc Belgæ iſti de ſtatu Eccleſiæ hujus ſeculi. Cæterum memorandum eſt tamen, quod ſubjungimus Germano-Belgicæ nationis, veræ religionis propagandi ſtudium, & erga eam amor minimè fucatus,

Gotthis & zuecis imperabat Stenchillus qui ut fidelem regem decet, ſalutis ſuorum ſubditorum curam geſſit. Ergo cum laboraret inopiâ fidelium Miniſtrorum & operariorum, à Bremenſi Epiſcopo illos ſibi mitti petiit ſimul & impe-

travit

travit miſſi ergo Bremâ non Româ, Adeluardus & Stephanus fideles, juxta ac diſerti verbi præcones qui ubi Bircham, regni tum Metropolim appulerunt, eam fere totam Chriſto lucrifecere. Quod ægre ferentes aulici & nobiles quidam, ut non multi vocati ſunt teſte Apoſtolo, plebē concitarunt quâ audaciores facti, præcones ipſos ceperunt, virgis ceciderunt urbeque ejecerunt. Nec rex liber à furore populi fuit. Quare licet fugâ vitæ ſuæ conſuleret, ab illo tamen trucidatus, religionis causâ, atque ita martyr obiit. Ut autem Hieruſalem, quæ hic eſt fidem probavit, ita ei, quæ ſupra eſt gloriam & honorem attulit quæ accidere anno ſeculi currentis* ſeptuageſimo quarto (*a*)

1. Cor. I. 26. Gal. IV. 26. Apoc. XXI. 24. Iↄcccc-LXXV.

Cæterum qualis ſub initium ſequentis nunc ſeculi undecimi facies & conditio Eccleſiæ fuerit, rurſus ejuſdem Cornelii Hornenſis noſtratis, ſive ingenua confeſſio, ſive juſta querela, te docebit. Ita autem ille (*b*) *Tempus eſſemi*

(*a*) Referente Joh. Magno Hiſt. Gothicæ lib. 17. Cap. 15. & ex eo A. Mellino lib. 2. Martyrologii Belgici Magni pag. 365. Cæterum M. Adamus Hiſt. Eccleſiaſticæ lib. 3. Cap. 15. hanc ad Bremenſes factam legationem item teſtatur & Cap. ſeq. 16. meminit de ejectione Adelardi, ſolum Martyrii regis non facit mentionem, ſed lib. 4. Cap. 15. ſimpliciter defunctum eſſe ſcribit. 4. Hafniæ, 1579. Seculum IX. Anno Chriſti. (*b*) Faſciculo Temporum pag. 53, b. 54, à & b. ad Annum cIↄ & cIↄ XXIV.

minatum incepit circa annos domini mille, in quo fides Chriſtiana valde cœpit deficere & decinare à priſtinâ viriditate, uti eſt in prophetia S. Hildegardis. Et in multis regionibus Chriſtianitatis nec Sacramenta nec Eccleſiaſtici ritus obſervabantur auguriis & maleficiis intendentes. Et erat Sacerdos, ſicut populus. Sed miſericors dominus contra hæc mala iterum plures Apoſtolicos viros ſuſcitavit, qui hanc ariditatem bonis exemplis & prædicationibus irrigarent Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Et multi ordines nimio fervore ſuccreverunt ut periculoſum tempus illuſtrarent, de quibus communiter fit mentio. Et quod jam ſæpe hujuſmodi reformationes factæ fuerunt præter ſpem & in ſequentibus futuræ ſint, omnino fatuum eſt determinare, quod Antichriſtus tunc vel tunc veniet propter malitiam temporis quod plerique acceptarunt quos omnes fefellit ſua opinio & euangelica deriſit ſanctio: & ipſa temporis reprobavit experientia. Horum errorum eſt immenſus numerus.

Seculum XI. Anno Chriſti.

Hactenus ille: quibus equidem verbis invehitur in vitia cleri, taxatque nimiam & fruſtraneam ordinum inſtitutionem, fallitur autem in eo quod opinionem eorum, qui ex corruptelis hujuſmodi non ſine ratione colligebant An-

Antichriſtum jam veniſſe, rejiciat. nam & revera venerat jam Antichriſtus, ejuſque regnum florebat tum quam maxime. Verum aliam non minoris momenti querelam juxta & increpationem ejuſdem videamus. Ita ergo ille, *Sciſma decimum quartum Eccleſiæ ſcandaloſum & confuſione plenum fuit inter Benedictum IX. & alios, ut patet infra. Cauſa fuit mala vita Benedicti: iniquus introitus Hic notat Ptholomeus quod faſtus ſummorum pontificum habuit ſemper malum exitum. Notabile eſt De pluralitate beneficiorũ quæ circa hæc tempora nimis invaluiſſe videtur & deinceps continuata: multumque dolenda ambitione Prælatorum & Simoniaca labe, quam plurima ſcripta Sanctorum Patrum habentur, deteſtantia abuſiones iſtas. Et nota quod facile inventi ſint Pauperes Clerici & Doctores qui pluralitatem beneficiorum & pompam Eccleſiaſticorum rep e-henderunt, donec offerret ſe occaſio participãdi qua accepta communiter avaritia excæcavit eos. Fertur de quodã Magiſtro magnæ ſtaturæ, qui valde ſublimiter diſputavit contra divitias prælatorum, & faſtum eorum, quaſi omnino ſic vivere non liceret. &c. hæc cum nunciata Domino Papæ fuiſſent, plauſibiliter reſpondit; Demus ei bonũ præpoſituram, & hæc & illa beneficia &*

Seculum XI. Ann. Christi.

bene pacatus erit. factum eſt ita, & ecce protinus ſententiam mutavit, dicens, Nunquam intellexi materiam hanc præter modo. Quippe qui de inope dives, de contemptibili repente glorioſus apparuerat. Hos Beatus Hieronymus, velut peſtes quaſdam contagioſas, vitandos pronunciat. Dixit Quidam notabile verbum. Qui hoc unum beneficium competens & eo legitime utitur recto calle ad Patriam tendit: qui unum ſuper addit, uno oculo conſcie privatur: qui aliquid ad huc plus acceptat, etiam altero lumine privatus, totaliter excæcatur, & deinceps quæcunque poteſt coacervat. Hanc maledictionem inſatiabilis avaritiæ olim præſignavit Ieroboam Rex Iſrael. Qui licet divinitus ad regnum pervenerat ſtatim tamen à cultu Dei receſſit, fecitque duos vitulos aureos, ne populus Iſrael ad templum Domini adſcenderet; factum autem eſt verbum hoc in peccatum, ita ut omnes ſequentes reges hunc cultum ſacrilegum obſervarent in deſtructionem regni ita de Eccleſiaſtico ſtatu timendum eſſe ſancti viri communiter adſeverant, & jam in pluribus mundi partibus completum cernimus. Clerici, qui nihil poſſidere deberent, præter rationabilem competentiam, neque ſe de temperoralibus intromittere, omnia poſſidere, omnia volunt gubernare. Iccir-

co ut Beatus Bernhardus dicit, quod ordinem nullum ſervant, illuc properant ubi ſempiternus horror inhabitat. Olim phariſæi contra avaritiam diſputantem Dominum irridebant, & inſanum judicabant; ſed nunc Dominus ſubſannat eos. Caveas lector, qui multa occupas beneficia, ne idem facias, neque eadem patiaris. Deus non irridetur: ſe quod ſeminaverit homo hoc & metet. Noli ſequi conſuetudinem periculoſam, nolite per Papæ diſpenſationem excuſare. Ad oculum vides quod vituli aurei adorantur, ſed cæteri mactantur. Sed quæ neceſſitas, quæ reverentia in hoc eſt Deo exhibita, quod de numero miniſtrorum ejus propemodum medietas eſt reſecata: Si enim cuilibet beneficio permitteretur dari ſuus poſſeſſor numerus ſervorum Dei eſſet duplex, qui modo eſt ſimplex. Sequere conſilium eorum, qui Deo jam in celeſtibus conjuncti ſunt, ne cum vitulis aureis æterno igni conſteris. Quid prodeſt ultra prohibitos beneficiorum titulos coadunare, quum etiam ſimplices communiter videmus in frugali honeſtate amplius abundare. Hactenus ille qui de corrupto Eccleſiæ ſtatu teſtatur non ſolum, ſed & conqueritur ita, ut quantum in ſe eſt eum ejuſque fontes, quales ſunt commodum pluralitatis beneficiorum, exempla

Seculum IX. Anno Chriſti.

empla aliorum, diſpenſatio Papæ, & ſimilia, cupiat & eat emendatum.

Cæterum rebus Eccleſiæ per Eccleſiaſticorum ſcelerata ſtudia deſperatis, manum medicam admovit tandem Henricus II. Imperator adeoque Romæ cum eſſet, ipſe, Clero populoque Romano in partes ſciſſo, & propterea officium negligente, imò jure ſuo amittente, creavit Papam, *natione Germanum*, ut ſcilicet ille Eccleſiæ Romanæ erroribus & vulneribus quibus per ducentos annos, factionibus Italorumque nequiſſimorum hominum, ſcatuerat & graviter afflicta erat, medelam ad ferret & *morbum curaret* ut Sigonius (*c*) vel, *propter unionem reparandam*, ut Hornenſis (*d*) noſtras loquitur. Erat is Clemens II. ante Bambergenſis Epiſcopus, & Syndegerus vocatus. Fecit hoc ad exemplum prædeceſſoris ſui Otthonis III. qui eodem quo ille fine Brunonem, Natione Saxonem & ſe proximâ cognatione junctum ad Pontificatum promovit circa finem præcedentis ſeculi. Is autem titulo accepto Gregorius V. appellatus, magis operam dedit promovendæ Imperii ut vocant Romano-Germanici Libertati & ſplendori, (*e*) inſtitutione ſcilicet

Seculum XI. Anno Chriſti.

(*c*) Lib. 8. de regno Italiæ, cit. *P. du Moulin liv.* 1. *Chap.* 37. *du Noveante du Papiſme.*

(*d*) faſcic-Temp. ad Anno 1054. pag. 54.

(*e*) Alii hoc negant Nominatim Horneuſis. lib. citati de eo ſic ſcribit *Verum ut quidam dicunt hac occaſione Aquila multas pennas amiſit & in fine totaliter denudabitur.*

licet Collegii Electorum ſeu Septemviratus S. Romani Imperii, quam Eccleſiæ Ròmanæ ſanitati aut unitati reſtaurandæ ſive quod non reſponderit voto eligentis, ſive quod morte præventus & perſecutione Creſcentii & Johannis XVII. Antipapæ impeditus, præmeditatam forte certe neceſſariam medelam adferre nequivit. Idem accidit Clementi huic II. quem *abeunte Imperatore ut quidam ſcribunt* (f) *Romani, injuſſu ſuo creatum Pontificem venenò e medio ſuſtulerunt Scribunt Authores venenum ipſum in hos uſus à Stephano paratum, qui ei in Pontificatu ſucceſſit, Damaſuſque* II. *appellatus eſt*. Hic autem *Pontificatum* (g) *per vim occupat, nullo cleri populive conſenſu. Adeo enim inoleverat hic mos, ut jam cuique ambitioſo liceret Petri cathedram invadere. Sed obſtitit Deus juſtus vindex, ut is cæteris exemplo eſſet ne quod virtus dare conſuevit, ambitione & largitione quæreretur: nam tertio & vigeſimo Pontificatus ſui die moritur*. Huic ſucceſſit per imperatorem primùm, mox etiam per Romanos, licet inviſi ipſis eſſent Teutonici, electus Bauno, Epiſcopus Tublenſis, item Germanus, Leo IX. poſt electionem vocatus. Et hic non ſolum non medelam attulit (quod nec fecerunt

(f) Ira Platina in Vita Clementis II.
(g) Idem in Vita Damaſi II.
Seculum XI. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

cerunt alii poſtmodum Lotharingii & ſi qui ſunt alii non Romani aut Itali, in eum finem electi) ſed & impedivit illos qui medicam admoverunt manum. Veri Phariſæi inſtar, qui nec introivit ipſe, nec introeuntes introire ſivit. Nam cum perficiendo Antichriſto deeſſet ſolum fere monſtrum tranſſubſtantiationis, illud à multis annis conceptum, adeoque non decem menſes ut inquit ille, ſed annos quamplurimos utero meretricis Babylonicæ latum & tandem enixum, ipſum ſuſceptorem & alterum parentem habuit ſi quidem in *Concilio vercellenſi Berengarium, hæreſios autorem, damnavit* (h)

Matt. XXVI. 13.

(h) Idem in vita Leonis IX.

De quâ ſic dictâ & habitâ hæreſi nunc nobis agendum. Nam cum ut dictum eſt monſtrum horrendum illud tranſſubſtantiationis (quod vocabulum non adeo barbarum eſt ac quidem res eo ſignificata) ipſum lumine carens, lucem vidiſſet jam, & inde enata Theophagia urgeretur, ab unâ parte religio Chriſtiana omnium peſſima audivit ab iis qui erant extra, nominatim ab Averroe Arabe, Medico & philoſopho Pagano, qui eo tempore vixit, quo in Italiâ ſine contradictione tranſſubſtantiatio recepta, adeoque non ſine ratione, ſe *omnes regio-*

nes

nes circumiviſſe dicebat, & Chriſtianâ ſectâ deteriorem non inveniſſe, quia Deum quem colunt dentibus devorent. Nam ut hic illud Ciceronis (*i*) addam, *quem tam amentem eſſe putas, qui illud quo veſcatur, credat Deum eſſe?* Quia tamen eo dementiæ provenerant plurimi ab altera parte qui reliqui intra erant pii viri, quibus regnum Dei promovere, non impedire ex officio propoſitum erat, his & cognatis erroribus ſe opponere, veritatem exulantem & pæne extinctam revocare cœperunt. Hos inter principem occupat locum Berengarius, modò memoratus, Andegavenſis in Galliâ Archidiaconus, natione Turonenſis, cujus Eccleſiæ etiam Epiſcopus fuit, ſecundum nonnullos hic propterea novę ſectę autor & hæreticus audiit & ut diximus condemnatus Vercellis à Leone IX. Non deſiſtit tamen Berengarius, eoque adverſarii crim inaque ipſi impacta creſcunt ad Nicolaum II. decem annis poſt Leonem electum, res defertur. Vocatur & præſentem, ſe ſiſtit Berengarius. Per vim, ut eâ tueri ſua ſolent, qui veritate deſtituuntur, & mortis metum, ut is homini ineſt, extorquetur illi ut dogmatibus ſuis renunciet. Palinodiam canit: quæ nota, ſatis, & cujus initium, *Ego*

Seculum XI. Anno Chriſti.

(*i*) Lib. 3. de Natura Deorum

Beren-

Berengarius Eccleſiæ Andegavenſis Diaconus &c. (k) Hâc ab ipſo cantatâ *Nicolaus Papâ*, ita ad Berengarium, ipſum, Acta Concilii ſequutus, ſcribit Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis (*l*) *gaudens de converſione tua jusjurandum tuum miſit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcunque loca fama pravitatis tuæ ante potuit pervenire, ut ſicut Eccleſiæ ſcandalizatæ prius dolebant de te averſo atque adverſo; ita poſtea gauderent, gratiaſque Deo agerent, de reverſo atque converſo.* Ergo & fama pravitatis Berengarianæ, dico veritatis a Berengario revocatæ & conſervatæ, etiam in Germaniam pervenerat noſtram, Sed an omnes ibidem Eccleſiæ, ut de Italicis, Gallicanis nunc non dicam, ſcandalizatæ ſint, jure dubito multas erectas & confirmatas, mihi facilius quis perſuadebit. Quare ut ibidem ſuos adverſarios habuit Berengarius, ita & Patronos. Inter Adverſarios nominandus venit Algerus, inter Patronos, Adelmannus uterque ſcholaſticus Leodienſis primum. Sed ille dein Monachus S. Benedicti Cœnobii Cluniacenſis, hic vero Epiſcopus Brixienſis. De Algero conſtat neque facilè litem mihi quis movebit· Scripſit ille *de veri-*

tate

(k) Extat ea Diſt. 2. de Conſec. Can. Ego Berengarius & in Indice Chronologico bucholceri ad Annũ 1059.

(*l*) lib. de Sacramento Euchariſtiæ adverſus Berengarium pag. 3. 6. editionis cura J. Vlimmerii in 8. 1561. Lovanii, qua authores vetuſti de hoc argumento junctim edita.

Seculum IX. Anno Chriſti.

tate corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtiâ libros III. qui à Petro Cluniacenſi Abbate comparati cum Lanfranci, modo memorati, & Guitmundi Epiſcopi Averſani, ejuſdem argumenti libris, *optime, pleniſſime, & perfectiſſime* ſcripti, dicuntur: non minori elogio, ornat hunc authorem Deſiderius Eraſmus in præfatione libris ejuſdem præmiſſa (*m*) invenit tamen quod in iis carperet Cardinalis Bellarminus (*n*) ſcilicet Algerum lib. 2. Cap. 1. falſo aſſerere *Species Sacramentales non poſſe corrumpi, vel à muribus rodi.* Quæ aſſertio Bellarmini ſi conveniat ita cùm reverentiâ & cultu etiã divino, quem exhibent hoſtiæ conſecratæ Pontificii, quam cũ experientiâ & veritate, merito carpendus eſt Algerus: qui hoc modo ἀρτοθέῳ ſuo magis conſulit, quam Bellarminus. Sed hinc colligere licet non adeo convenire inter eos, ac quidem de concordiâ gloriantur ſuâ quia à veritate, concordiæ fundamento & vinculo divortium fecêre. Cæterũ etſi Algerus hic erroris graviſſimi, ſcilicit tranſſubſtantiationis Patronus ſit non levis, non ita tamẽ dementatus planè ut nõ & veritati in ſuis libris perhibuerit teſtimonia quæ cum in Catalogo Teſtium veritatis lib. 12. Cap. *Algerus* excerpta ſint

(*m*) Leguntur hi omnes volumini cit.

(*n*) Lib. de ſcript. Eccleſiaſticis.

Seculum XI. Anno Chriſti.

ſint ſufficit nobis ea hic indicaſſe. Neque pænitebit ſi cum iis comparentur, quæ hic de Adelmanno ſubjungimus quæ cit. Cap. *Adelm.* ſcripta leguntur hoc præmonentes nos noſtra de his ut & multis aliis ſcripſiſſe jam, nondum conſulto ſuper iis inſigni illo Catalogo teſtium veritatis.

Nunc de Adelmanno dicamus, qui decimo poſt Algerum ſeculi hujus quadrageſimo anno floruiſſe ſcribitur. Hunc Patronum Berengarii dixi. fidem mihi faciunt ipſa Adelmanni verba, quæ Epiſtola (o) ad Berengarium extat, & hæc ſunt. *Avertat Dominus à te, Sancte frater, ſemitas tales, & convertat pedes tuos in teſtimonia ſua, & mendaces oſtendat, qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, ut non ſolum Latinas; verum etiam* TEUTONICAS *aures, inter quas diu peregrinor, repleverint, quaſi te ab unitate Sanctæ matris Eccleſiæ divulſeris,* &c. Ergo non credebat Adelmannus rumori qui de Berengario inter Teutones ſpargebatur. Cæterum eundem *collactaneum* ſuum vocat, *propter dulciſſimum illud contubernium quod,* inquit, *tecum Adoleſcentulo ipſo ego majuſculus in Academia Carnotenſi, ſub noſtro illo venerabili Socrate,* Fulbertum loci Epiſcopum deſi-

CIↃXL.

(o) De veritate Corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia pag. 224. 6. Volum. Authorem vetuſtorum cit.

deſignat, *jucundiſſime duxi.* Referamus ergo Adelmannum hunc inter veritatis teſtes quibus licet ſe non adjunxerit, tamen de eo illud Chriſti ex vero dici poteſt, *Qui non eſt contra nos, pro nobis eſt.* Marc. IX. 40. Nam eadem illâ Epiſtolâ diſputans, ſeu potius amice cum Berengario conferens, eumque inſtruens talia profert, quæ aliena ſunt à Doctrina pontificiorum non ſolum, ſed ut ei adverſa, ita & conformia veritati. Horum ſpecimina ſunt I. quando inter cætera ait *Baptizat, & homo per cujus manum & linguam opus illud adminiſtratur: ſed maximè & principaliter ille baptizat, qui vim & efficaciam totam præſtat*, quæ è diametro repugnant iis quæ de effectu Baptiſmi ex opere & intentione miniſtri baptizantis. Seculum XI. Anno Chriſti. II. *Nec aliter melius poſſe intelligi puto, quod Apoſtolus de illo ait, qui eſt ad dextram Patris, qui etiam interpellat pro nobis, quam ut interpellatio iſta fiat non verba proferendo, ſed obedientiam atque humanitatem ſuam per commemorationem paſſionis Deo Patri commendando.* Rom. VIII. 34. Quæ quam differant ab iis, quæ ignaræ plebeculæ in Eccleſiâ Romanâ à nugigerulis monachis perſuadentur, Chriſtum ſcilicet in cælo, jam glorificatum ad ſingula momenta coram Patre genua flectere,

flectere, primo patet intuitu. III. Quod tranſſubſtantiationem neget, diſputans adverſus eum, qui ob eandem negatam malè audiebat. Nota tamen non diſertis verbis negare eum tranſſubſtantiationem, ſed ut ajunt, per conſequentiam. quod vel hinc colligi poteſt quando dicit, *ſemel tantum fieri debere ut ipſe Chriſtus deſcendat e cælo*, quod ut eſt juxta doctrinam Petri, ita cum tranſſubſtantiatione conciliari nequit: eâ enim datâ, neceſſe eſt Chriſtum quotidie è cælo deſcendere, adeoque cæli ipſum non capient uſque ad tempora reſtitutionis omnium. Atque hæc quoad Adelmannum impræſens ſufficiant. Nunc Hiſtoriam Berengarii perſequamur. Extortâ ipſi palinodiâ prædicta, quæ tum quidem valdè, nunc autem minimè Pontificiis probatur, (*p*) ut ſcias aut tunc erraſſe aut nunc errare eccleſiam Romanam, Domum, ad ſe & veritatem rediit; Humbertumque Cardinalem Palinodiæ autorem, exagitat. tandem cum pęnitentiam abnegatæ agnitæ veritatis egiſſet Deo animam reddit, anno ut vulgo creditur hujus ſeculi ſexageſimo octavo. Elogio inſigni decoravit eum Hildebertus cænomanenſis Epiſcopus, reliquit autem ubique gentium diſcipulos non paucos

Act. III. 21.

(*p*) Conſule P. Mol. lib. 1. Cap. 14. 12. Novit. Papiſmi 4. Geneve 1633.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

paucos nec pœnitendos, etiam in ultimo Belgio noſtro. qui ipſo adhuc vivente, in tantum numerum excreverant, ut Bruno, Trevirorum Archiepiſcopus eoſdem ex dioceſi ſuâ expulerit, qui nempe Berengarii *doctrinam in Eburonibus, Atvaticis, aliiſque Belgii populis diſſeminabant.* contigere hæc anno ſexageſimo ſupra milleſimum (*q*) Sed pergamus, fine huic ſeculo impoſito.

Seculum XI. Anno Chriſti. CIↃLX.

Ergo ſequens, quod duodecimum eſt videamus. Controverſiæ Berengarianæ æſtus paululum deferbuerat; cum ad ſua intenti, regnum Antichriſti etiam hîc in Belgio ſtrenuè promovent nonnulli. Sed & ſunt qui ut non tacent, ita verbum Dei purè & ſine fermento traditionum aut ſuperſtitionis humanæ prædicant. præ cæteris notus eſt Tanchelinus, qui non adeo longo à morte Berengarii tempore docuit præter alia orthodoxa eadem quæ Berengarius: idque in Belgii meditullio. Annus erat à nativitate Chriſti undecenteſimus decimus quintus ſecundum hos, vigeſimus quartus, ſecundum illos. Autores qui ejus mentionem faciunt, tanquam de novâ & inauditâ hæreſi loquuntur. Ergo continuâ ſucceſſione à Berengario & altius ad hunc uſque diem ita prædicatum fuiſſe, fidenter

(*q*) Tguanus præfatione ad Henr. IV. in Hiſtoriam ſui temporie, cit. A Regenſvolſcio Hiſt. Eccleſ. Slavonicorum lib. 2. cap. 2. in 4. Trajecti ad henum. 1652.

Seculum XII. Anno Chriſti.

fidenter affirmo. quia autem inter falſò ſic dictos hæreticos Tanchelinus primarius & ob applauſum populi celebris admodum fuit, novæ Hæreſis ſcribitur author. Nunc Hiſtoriam perſequamur. Revocabimus autem eam ad ſequentia capita ut primò quidem Doctrinam ipſius mox loca in quibus docuit, dein ſequaces & adverſarios quos habuit, non paucos, tum crimina ipſi objecta & attributa è contrà elogia, poſtremò nomina (non uno enim nominatus fuit) breviter & ex vero proponamus.

Docuit ergo Tanchelinus teſtibus ipſis adverſariis, nominatim Cognato (*r*) 1. ordines Sacerdotum non eſſe neceſſarios. 2. Epiſcopalem dignitatem nec juris divini, nec tanti faciendam eſſe: 3. Sacrificium miſſaticum nullum dari, neque in eo corpus aut ſanguinem Chriſti reperiri: aliaque Romanæ doctrinæ adverſa, ſed non veritati. *Locum* quod ſpectat, Antverpiæ Brabantorum, ſi non primum, ſaltim potiſſimum, mox in Walachriâ, zelandiæ inſula primaria, & vicinis in locis inſuliſque tandem Brugis flandrorum, docuit *diſcipuloſque* partim invenit, partim fecit. Hic præ cæteris in locis *adverſarios* habuit monachos quoſdam: qui ſuo ut more, ita nullo

(*r*) *Hiſtoire de Tournay Chap.* 37. *lib.* 3.

Seculum XI. Anno Chriſti.

nullo jure excommunicarunt Tanchelinum, ejuſque diſcipulos & ſequaces. *Crimina* quam plurima, ipſi objecta. Si autem non conſtaret male imò peſſimè, audire omnes ſedis Romanæ adverſarios, præſertim qui infelicibus & obſcuris illis temporibus vixere, ut hic noſter, non aliter ac olim Judæi & primis ſeculis Chriſtiani, apud Gentiles, eſſet quod iis moveremur: huc accedit, quod iidem illi qui res geſtas eorum ſcripſere, licet cauſas procul, tamen iram & odium in promptu ſemper habuerunt. Ergo licet impudicus, voluptuoſus, luxurioſus, inceſtificus & neſcio quid non fuiſſe ſcribatur Tanchelinus, tamen nihil minus quam talis fuit, & ideo noſter futurus. ajunt item tribus ſuorum millibus armatum ſtipatumque quotidie inceſſiſſe, bienniòque poſt excommunicationem læſum capite, eque vulnere diem ſuum obiiſſe prope Brugas modò memoratas. ſunt qui ipſum à præſbytero quodam, forte in hunc finem in itinere Comite, in navi, quâ ſimul vehebantur, occiſum ſcribunt: anno hujus ſeculi vigeſimo ſexto. Cæterum diſertus, facundus, liberalis item audit quæ ipſius *facundia* & *liberalitas* imprimis in causâ fuiſſe adverſariis videtur, quare tot &

Seculum XII. Anno Chriſti.

cIↃc-XXVI.

F ubique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XII. Anno Chriſti.

Mat.v.2.
Eph. VI. 18.

ubique ſequaces habuerit: Ego veritatẽ, quam aperto ore docebat, & Myſterium evangelii penè obſcurati, quod cum loquendi libertate notum faciebat, deniq; ſanctam quam vivebat vitam, hoc effeciſſe, aſſerere non dubito. accedebat & hoc: quod multis non placuerit, nec vita ſacerdotum nec doctrina: cum illa eſſet flagitioſa, hæc falſa. Neque enim unquam veritatem ita depreſſam legimus, quin ſimul ac vel minimus ejus prædicator extitit, confeſtim quamplurimi ſeſe ei adjunxerint; ut vel exemplo eorum qui Lugdunenſes appellantur probari poteſt. idem patet quod uno Luthero in Germaniâ, Zuinglio in Helvetiâ aliiſque paucis in locis ſeſe manifeſtantibus, licet Reges ferè omnes Papam, quin imò Cæſarem ipſum haberent adverſarios, ſtatim tamen Provinciæ, imò regna integra ſuperſtitionis Romanæ jugum excuſſerint. Nunc *nomina* Tanchelini diverſa videamus. Legunt & ſcribunt alii non *Tanchelinus*, ſed *Tanchelmus*: quæ mutatio facile accidere poteſt *m* pro *in* lecto. Aliis *Teudemus*, nonnullis *Taudemnes* vocatur. Antverpienſes in actibus ipſum *Torquilium* vocant, ab aureo quem geſtavit torque. Cæterum præter adverſarios memora-

tos,

tos, quos Brugis habuit, Antverpiæ Tanchelino ſeſe oppoſuiſſe ſcribitur Norbertus, ordinis Præmonſtratenſiũ fundator, & poſtea Magdeburg. Archiepiſcopus, qui multum operę impendit, in convertendis ovibus à Tanchelino ſeductis quarum quamplurimas in ovile reduxiſſe creditur. Sed operę pretiũ eſt videre quo modo & ſucceſſu id non ſolũ fecerit, ſed & quot annos huic operi inſumpſerit: ut ſcias, altas radices egiſſe prædicationem Tanchelini, eaſq; tales ut non niſi decennio elapſo, Antverpienſes, ut de aliis non dicam, Romanæ Eccleſiæ jugo demum ſed inviti, ſeſe ſubmiſerint: ad hæc quæ Eccleſiæ Antverpienſis pontificiæ deteſtanda, Reformatæ è contra glorioſa fuerit tum temporis conditio. Audi id non meis, ſed Norberti contemporanei, qui vitam ejus deſcripſit, verbis (s) *Antverpiæ* inquit ille, *oppido ampliſſimo & populoſo unus tantum erat ſacerdos, qui curam totius populi gerebat, ſed præ nimia multitudine & frequenti negligentiâ, curæ ſuæ non ſatiſfaciebat: nec credebatur ei, eo quod ipſe copula carnali, neptem ſuam in linea tertia, manifeſte ſociam ſui ſceleris fecerat. Unde contigit hæreticum, miræ ſubtilitatis & verſutiæ, ſeductorem Tanchelinum, in ea gente ſuæ ſeductionis*

Seculum XII. Anno Chriſti.

(s) Ex Hiſtoria Vitę Norberti per Contemporaneum ſcriptæ Cap. 34. citante ex tomo 3. Zurii Molano in Natalibus Sanctorum Belgii ad 6. Junii Num. 2. de Norberto.

Seculum XII. Anno Christi.

locum invenire. Erat is omnium hominum ſceleratiſſimus, Dei & omnium Sacramentorum ejus inimicus, & totius religionis & Chriſtianæ fidei contrarius, in tantum ut obſequium Epiſcoporum & Sacerdotum nihil eſſe diceret: & ſacroſancti corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe denegaret. Credebant ei & ſequebantur circiter tria millia pugnatorum: nec erat dux aut Epiſcopus aut quilibet princeps, qui auderet ei reſiſtere, vel occurrere, vel ante eum apparere, niſi ſectam ejus ſequeretur. Pretioſo apparatu in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auriphrygii ligamine triplicatis incedebat: & verbis perſuaſibilibus, magniſque conviviorum apparatibus benevolentiam eorum ad ſeducendos eos exhauriebat. Et hæc deteſtanda ſeductionis execratio etiam poſt mortem ipſius hæretici nullatenus extirpari potuit: quamvis duodecim clericorum congregatio ab Epiſcopo ad ſubſidium ſacerdotis, qui ſolus erat, in Eccleſia beati Michaelis ibidem poneretur. Tum vero clerici charitate ſuadente, & evidenti neceſſitate ſuadente patri Norberto, & fratribus ejus per manus Epiſcopi, hanc eandem Eccleſiam cum aliquibus reditibus, dederunt, confidentes quod Deus meritis ipſius

In margine ſcriptum eſt, Hæreſis ſerpſit per Bohemiam, Alſatiam Turingiam. Trithemius in Chronicis Hirſavgtæ Abbatæ 17.

ipſius & fratrum, mortificæ peſtis auferret ſævitiam, & tenebris ignorantiæ depulſis, lumen veritatis repararet. Suſcepta eſt igitur Eccleſia à Beato Norberto: qui pius prædicator, gentem Antverpicam per ſe & ſuos, ad viam veritatis & juſtitiæ reduxit. Abhuc uſque contemporaneus Norberti, ſubjungit ibidem Molanus (*i*) *Beato Norberto prædicante, viros & mulieres corpus Dominicum quod in ciſtis & foraminibus, per decem annos & amplius repoſuerant, attuliſſe, & per ejus doctrinam paulatim reſipuiſſe. Ex quibus etiam tum Chriſtianos manu propria ſumpſiſſe corpus Chriſti, Colligit Pontacus in Chronographia.* ex quo & colligimus nos, jure meritoque novitatis convinci poſſe traditionem hodiernam hoſtiæ, ut vocant conſecratæ non in manus, ſed ora communicantium. Addit denique Molanus, *Cæterum non Atverpiæ tantum ſed etiam Valencennis ac alibi per Belgium noſtrum, ſacras habuit conciones:* convertendis haud dubiè hæreticis à Tanchelino ſe ductis, ut eos vocant qui veritatem ſequuntur, & quos per totum Belgium diſperſos fuiſſe conſtat. atque hæc de Tanchelino noſtro: de quo Belgium non minus habet quod glorietur, quam Gallia de ſuo Valdo. qui honos tantò major

Seculum XII. Anno Chriſti.

(*t*) Ex Roberto, Abbate Montis in Supplemento ad Sigebertum ad Annum 1124.

Non abſimilia his tradit B. Lutzenburgus in Catalogo Hæreticorum in V, Tandemus.

Seculum XII. Anno Chriſti.

jor eſt, quantò Valdo antiquior eſt Tanchelinus. Quamquam enim antiquitas ſola veritatem non procuret, tamen ubi illa ad hanc accedit, magis exornat eam & commendat.

(u) Centur. Magdeburg. Cent. 12. Col. 840. 20. lib 3. cit. A. Regenſvolcio Hiſt. Eccleſ. Slavonicæ cit. lib 2. Cap. 2. CIƆC-XLVII

Sequitur annus hujus ſeculi trigeſimus quintus cruentus juxta ac glorioſus: Eo quod apud Trevirenſes ſuperioris, & Ultrajectenſes inferioris Germaniæ à Lothario imperatore combuſti ſint, adeoque martyrio coronati, qui ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti negabant mutari, prout id ex Magdeburgenſibus obſervat A. Regentvolcius (u) Hos autem ex diſcipulis, ſive Petri Bruiſii, qui circa hoc tempus in Galliis magno cum applauſu contra Papatum, hæc aliaque docuit relicto diſcipulo & ſucceſſore Henrico, qui anno hujus ſeculi quadrageſimo ſeptimo floruit, & contra quos Petrus, Cluniacenſis abbas (x) tractatum ſcripſit, ſive potius Tanchelini noſtri, fuiſſe certum eſt.

(x) Extat volumine ſæpius citato & à J. Vimmerio edito pag. 196.

Nunc ad alia Erat in galliis vir dives admodum, Petrus Valdus (alii Baldum, alii Baldonem vocant) civis Lugdunenſis: qui miro caſu à Deo converſus, ſuis abdicatis facultatibus, quas amplas habebat, inque pauperes maximam partem

tem collatis, acriter invehi cœpit in derum Romanum, malè & docentem & viventem. tandem *Patriâ relictâ, in Belgium venit*, inquit ex Thuano Regenſvolſcius (*y*) *atque in Picardia, quam hodie vocant, multos ſectatores nactus, cum inde in Germaniam tranſiiſſet Vandalicas civitates diu perambulans, poſtremò in Boemiâ ſedem fixit*. Hæc ille, de peregrinatione Valdi. Nuſquam locorum venit, quin fecerit diſcipulos, aut invenerit, qui ab ipſo Valdenſes primum, mox aliter, pro nomine locorum quæ inhabitabant, à Lugduno, puta, Lugdunenſes, ab Albis Albigenſes, à Tholoza Tholozani appellati ſunt. neque enim diu uno contineri poterant loco: adeo numero crevêre hi mortales, ut credas quamplurimos exſpectaſſe & deſideraſſe ducem, quem in oppugnando Anti-Chriſti regno ſequerentur & adjuvarent. multis calumniis licet impetiti, moleſtiis item & perſecutionibus graviſſimis vexati, ab animi tamen ſententiâ & veritate profitendâ moveri nequibant. Doctrina eorum purior, an vita ſanctior fuerit haud facile affirmarim. Quod cum adverſariis non ignotum, invitis extorſit illuſtria de ipſis teſtimonia. Horum meminêre plerique

Seculum XII. Anno Chriſti.

(*y*) Hiſt. Eccleſ. Slavon. lib. 2. Cap. 3.

 Hiſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XII. Anno Chriſti.

Hiſtorici iſtius ævi. fuere & hoc noſtro qui in conſcribendâ ipſorum hiſtoriâ plurimum operæ poſuêre. rati ex contemplatione vitæ eorum, & ſe, & alios docere poſſe. adeo nobile nec infructuoſum dedere illi, non hiſtoriæ ſolum, ſed evidens conſervationis Eccleſiæ argumentum. præ cæteris laudandus hic ſe offert Balthazar Lydius, Eccleſiæ Dordracenæ Paſtor, tam verſione Hiſtoriæ Johannis Pauli Perrini ex Gallico in Belgicum, quam ſcriptione Hiſtoriæ Waldenſium, editione item & emendatione ſcriptorum veterum Waldenſium, quibus fides eorum & res geſtæ continentur: quare lectorem ad ea omnia remittimus. Ne quid tamen curioſus lector in hoc opere deſideret, quod Waldenſes ſpectat ſub finem adjungere viſum eſt elegantiſſimam Ampliſſimi viri, Rochi Hofferi de Waldenſibus Elegiam in qua eorum dogmata, adverſarios, perſecutiones & loca ipſa quæ inhabitarunt, fideliter & graviter depingit. Cæterum unum ex authoribus citatis addimus, quod ex F. Reinerio Sachone ordinis Prædicatorii (qui vixit teſte Antonio Senenſi in Bibliotheca fratrum ejuſdem ordinis, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, & contra Waldenſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

denſes ſcripſit) modo memoratus Balthazar Lydius in hæc verba affert. (z) *Inter omnes ſectas quæ adhuc ſunt vel fuerunt, non fuit pernicioſior Eccleſiæ, quam Leoniſtarum* (hoc enim nomine Valdenſes, ſive Pauperes de Lugduno indigetat) *idque tribus de cauſis:* I. *eſt, quia eſt diuturnior, aliqui enim dicunt quod duraverit à temporibus Silveſtri, aliqui à tempore Apoſtolorum.* II. *quia generalior, fere enim nulla eſt terra, in qua hæc ſecta non ſit.* III. *quia cum omnes aliæ ſectæ, immanitate blaſphemiarum in Deum, audientibus horrorem inducant, hæc ſcilicet Leoniſtarum, magnam habet ſpeciem pietatis, eo quod coram hominibus juſte vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur, ſolummodo Romanam Eccleſiam blaſphemant & clerum, cui multitudo Laicorum facilis eſt ad credendum.* Hæc Monachus ille. Cæterum diximus paulò antè, ipſos pro locis nomina ſortitos eſſe diverſa. quod autem diverſis in locis, imò toto orbe Chriſtiano habitarint, non ſolùm eorum multitudo, ſed & perſecutiones; quibus hoſtes veritatis eos petebant; in cauſâ fuere. hoc modo opprimere & eradicare eos conantes, ſed id tantum non effecere. Diſperſi ergo per

Seculum XII. Anno Chriſti.

(z) In Epiſt. Dedic. ad Hollandiæ ordines Walденſium Tom. I. in 8. Anno 1616.

Seculum XII. Anno Chriſti.
Heb. xi. 38.
(a) Lugubri Narrat. de Excidio Valdenſium & Albigenſium quæ ex Monimentis Martyrum excerpta & Edita inter cætera ejuſdem argumenti Egregia ſcripta cum Hiſtorica Narratione Joach. Camerarii de fratrum orthodoxorum Eccleſiis in Bohemia Moravia & Polonia in 8. 1605.

Germaniam primam & ſecundum, in Angliam, trans mare, imò Sarmatiam Livoniamque, ubi Lollardi appellati ſunt, venere, propagantes veritatem ad hæc vocati ſunt Chagnardi, quaſi dicas Apricarii: quod nomen Waldenſibus in Delphinatu inditum. quæ Lollardorum, Chagnardorum ſimiliaque nomina ipſis non alio fine ab hoſtibus impoſita, quam ut eos & præſentibus & futuris inviſos redderent. cum enim argumentis, ſive è verbo Dei, ſive à ſanâ ratione petitis, eos confutare, flammis item extinguere, neque ferro delere, poſſent, furioſorum hominum inſtar, convitia in eos evomebant infanda; & deteſtanda; quorum ut rei haberentur nomina ea deſignantia inventa & miſerrimis hominibus, quibus tamen indignus erat mundus, impoſita. quale etiam erat *Turrelupini* nomen, à loco deſerto & lupis expoſito, in quo ſcilicet nocturnos & promiſcuos conventus agerent. atque hoc poſtremo ſpecialiter deſignabantur *Waldenſes Belgici*, ſcilicet ij, non qui in Picardiâ Belgio vicinâ ſed flandriâ Arthesia aliiſque conterminis Belgii ipſius provinciis habitabant. (a) de quo

rum

rum maximâ parte juſſu Philippi Comitis Alſatii in flandriâ nominatim capitale ſupplicium ſumptum eſſe ſcribit H. Coſterius ad Annum hujus ſeculi octuageſimum ſecundum: hæreſios capita inter cætera notanter exprimuntur hæc. Contemptus Sacramentorum Eccleſiæ, conſiſtens nempe in rejectione quinque adulterinorum & correctione duorum genuinorum. II. imaginum ſacrarum. eo quod nullus earum uſus in ſacris. III purgatorii, quod nullum eſſet. & ſimilia quæ antea à Waldenſibus doceri dixerat. Atque ita Martyrium Chriſto præbuerunt hi Valdenſes noſtrates. quorum orthodoxam confeſſionem, per quæſtiones & reſponſiones, Linguâ belgicâ illius ævi conſcriptam nuper edidit vir celeberrimus Marcus Zuerius Boxhornius (*b*) ad quam Lectorem avidum remitto, eamque ipſe hic, exhiberem, niſi liber in omnium manibus verſaretur. Atque ita cum martyrio horum Valdenſium, ſeu potius Chriſtianorum finem ſeculo duodecimo imponimus.

Seculum XII. Anno Chriſti.

(*b*) *In t'boeck van ſyn Neerlandſche Hiſtorie. pag.* 36, & ſeqq. 4. 1643.

Seculum vero decimùm tertium inchoamus narratione remedii adhibiti, ad vetus & magnum, ſed gratum, mam tollendum quod Hornenſis noſter

Seculum XII. Anno Chriſti.

(*c*) In Faſciculo Temporum ad Annum cIↃcc-XXXVIII

tradit his verbis (*c*) *Contra pluralitatem beneficiorũ facta eſt illa ſolemnis diſputatio Pariſiis Anno Domini* 1238. *in qua determinatum eſt per ſanctos doctores, quod nemo ſine periculo peccati mortalis tenere poteſt duo beneficia, quorum alterum ſufficeret ad ſuſtentationem ſuam &c. Et quidam aliter opinati, fecerunt contrarium, quos divina juſtitia horribiliter damanvit. De hoc ſunt plura ſcripta & exempla in diverſis locis &c. Dicit quidam ſanctus doctor quod medietas miniſtrorum Dei eſt quaſi reſecata per hoc genus avaritiæ; quod unus plura permittitur benificia habere. Sed quis vel unum poteſt digne adminiſtrare, aut propriis pro peccatis ſatiſfacere?* Hæc recenſuimus tum quod illa diſputatio & deciſio per Doctores Pariſiis facta contra pluralitatem beneficiorum, cui haud dubiè Galliæ Belgicæ doctores, pro vicinitate locorum, communitate linguæ & celebritate eorundem, interfuêre. tum ad eam Hornenſis obſervatio, de incongruitate noſtrâ ad officium digne adminiſtrandum, reſpondens exclamationi Paulinæ, *ad hæc quinam idoneus* & ejuſdem aſſertioni, *non quod idonei ſimus ex nobis ipſis, ſed quod idonei ſumus; id ex Deo eſt qui etiam fecit ut idonei eſſemus miniſtri novi pacti.* De-

2. Cor. II. 16. Ibid. II. 46.

que

que nullitate ſatisfactionis propriæ pro peccatis propriis, reſpondens confeſſioni Davidis, *non eſt juſtus coram te ullus vivus* & aſſertioni Jacobi *in multis labimur omnes*, quod inquam, hæc omnia digna ſint quæ memorentur & æternitati conſecrentur.

Seculum XII. Anno Chriſti.
Pſ. CXLIII. 2. Jac. III. 2.

Nunc ad alia, nec minoris momenti. Rebus in oriente ab Occidentalibus pręclare geſtis, Conſtantinopoliqué occupata, ipſis rex II. datur Balduinus, flandriæ comes. Hic, ut non ignarus erat Reges præeſſe, Epiſcopos autem ſubeſſe oportere, Patriarchæ Conſtantinopolitano poſt ſe & à ſiniſtro latere locum aſſignabat. Quo facto, ſi peccavit Balduinus, non Pontifex Romanus, ſed Patriarcha Conſtantinopolitanus offenſus eſt. Ratus autem Papa, qui tum erat Innocentius IV. per Patriarchæ latus, prætenſam ſuam ſupra reges Principeſque authoritatem lædi, & incrementum ejus impediri, de hoc regis facto ſpecialiter conqueritur eo quod non Sacerdotes Regibus, ſed è contra Reges Sacerdotibus ſubeſſe debere diceret. Balduinus autem non igorans in eo ipſum, qui ſe Petri ſucceſſorem jactabat eſſe, Petri veſtigia non premere, ſed multum diverſa ſentire, reſcripſit, non

ita

Seculum XII. Anno Chriſti.

ita Petrum loquutum, ſed contra: ſcilicet *Eſtote ſubjecti regi & ſupereminenti, ſive præſidibus, ſive qui per eum mittuntur.* Ita hic Belga, Rex ipſe, pro regiâ dignitate & jure prærogativo honoratioris loci, quod vulgò vocant præcedentiam nam de eâ tantum quæſtio erat, reſpondit, (*d*) quam quidem Balduini reſponſionem refutare conatus eſt in ſuo Decretali ad Balduinum (*e*) ſed jejunè & ficulneis argumentis. quibus tamen oculos regum vino ſcortationis Babylonicæ inebriatorum adeo occæcavit in hodiernum diem, ut ille per Legatos ſuos poſſideat non præcedentiam, ſolum, ſed & præſideniam in omnibus conventibus. quibuſcum nihil commune oportet eſſe iis, qui ab illo non decipi ac ſubigi volunt.

2. Pet. II. 13.

(*d*) P. Mornęus in Myſter. Iniquitatis

(*e*) Extrav. de Ma-oritate & obedientia C. ſollicitæ &c.

Nunc aliud circa medium ſeculi hujus factum videamus, Erat Antverpiæ Præsbiter, Guilelmus (alii Guilhermus legunt) Cornelius, qui veritatem agnitam profitens, Chriſtum corporaliter ſub ſpecie panis & vini præſentem eſſe, aliaque Romanę fidei dogmata negabat. Hâc in fide & Domino mortuus, etiam honorifice ſepultus jam per quadriennium, tandem deprehenditur ipſum hæreſios ſacramentarię, ut vocant, reum

fuiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

fuiſſe. Licet autem ipſo naturæ, cui debitum jam ſolverat jure omni humano dominio & poteſtate exemptus eſſet, Nicolaus tamẽ, Cameracenſis Epiſcopus, ejus oſſa effodi & comburi juſſit (*f*) Atque hinc patet, pluſquam, ſeculum à morte Tanchelini, ipſius doctrinam ut veram agnitam, ſervatam & propagatam, adeoque nondum prorſus extirpatam fuiſſe. Bernhardus Lutzenburgus (*g*) eum inter hæreticos recenſet & affingit ipſi crimina infanda, pro more & conſuetudine Pontificiorũ, quæ cum ſponte evaneſcant, nos refellendis aut abſtergendis iis non immoramur, ad hæc vocat eum *prophetam Almaricanorum* erant hi ſequentes Almaricum, celebrem Pariſiis anno hujus ſeculi quarto, doctorem Albigenſem (*h*)

Seculum XIII. Anno Chriſti.

(*f*) J. Balæus cent. IV. ad Annum cIↃcc-XLVII. cit. A. Mellino Martyrologii magni lib. 2. pag. 462.

(*g*) Catal. hęreticoru in V. Guilhermus.

(*h*) Lib. cit. in V. Almaricus

Guilielmo addimus Eligium qui Cameraci hæreſios accuſatus, ut combuſtionem, ordinariam pœnam eorum evitaret, furioſum ſe ſimulaſſe ſcribitur ab eodem Lutzenburgo (*i*) quare cuſtodiæ traditus & in haſtâ ligatus à quodam clerico Dæmone, ut ajunt, obſeſſo de nocte combuſtus eſt, qui tanto furore agitabatur ut flammam extinguere molientes cuſtodes gladio abegerit. Combuſto autem Eligio clericus à Dæmone

(*i*) Lib. cit. in V. Eligius

liberatur:

Seculum XIII. Anno Chriſti.

ratur: neque enim is alius fuit, quam odium in veritatem & ejus profeſſorem. Cæterum Eligius haud dubiè ad hoc ſeculum, &, niſi admodum fallor, poſt Guilelmum referendus & ponendus eſt cum autor ejus libri, ex quo utriuſque hiſtoria deprompta eſt, ſit Thomas de Cantipatro, aliis Cantipratenſis, natione Brabantinus qui Coloniæ Albertum Magnum præceptorem, & Thomam de Aquino condiſcipulum habuit, & poſtmodum ordini Auguſtini nomen dedit, in cœnobio Cantipratenſi, unde & ipſi nomen, non procul à cameracenſi civitate, cujus Epiſcopi, Nicolai modò memorati, ſuffraganeum egit, floruit autem anno hujus ſæculi ſeptuageſimo, ſcripſit inter cætera, libros II. de Apibus myſticis ſeu bonum univerſale *in quo miracula & Exempla ſui temporis* (k) memoriæ mandavit, & è quo B. Lutzenburgus, Molanus aliique hæc tradiderunt.

cIↃcc-LXX.

(k) V. Andræas in Biblioth. Belgicâ.

Porro Illuſtris Mornæus (l) ex eodem Thomâ annotat, Valdenſes toto terrarum orbe diſperſos numero auctos ubique locorum non obſtante perſecutione graviſſimâ quâ Jacobitæ ſic dicti, Inquiſitorum officium facientes, igni & aquâ eos interdicebant. Invaluerunt ergo Valdenſes, nec minus crimina infanda, &

(l) In Myſterio Iniquitatis ad Annum cIↃcc-LXXXIII

& nomina odioſa ipſis objecta & attributa. &, quod mireris, etiam eorum, quos ut vita & ſcelera infames, ita doctrina hæreticos reddebat & quos ipſi Valdenſes non minus, quam Pontificii averſabantur. Hinc & poſtea ipſe Ziſca Valdenſium Bohemorum dux, funditus delevit Adamitarum ſectam (*m*) quæ quod à Pegardo quodam Gallo belgâ, ſed transfugâ orta eſſet, præter Adamitarum, à factis, etiam Picardorum, ab authore vel loco nomen eſt ſortita. Non obſtante autem hoc Ziſcæ facto Valdenſes ipſi, præter Fratricellos, Begardos, Beguinos, etiam Picardi & Adamitæ audiunt. Adeo ut ſummo cum judicio legendi ſint tum iſtorum tum poſteriorum temporum authores Pontificii, qui bonos æque ac malos uno eodemque invidioſo nomine inſigniunt; dum quandoque per memoratos Picardos, & cæteros, ipſos Valdenſes quandoque ipſos Adamitas, flagitioſum hominum genus quod Præcedens ſeculum etiam in Belgio noſtro de novo excitavit, & alios hæreticos, quandoque tandem utroſque intelligentes, uno loco eoſdem habent, quibuſcum nihil commune illis unquam fuit. vide hæc obſervantem & probantem B. Lydium

Seculum XIII. Anno Chriſti.

(*m*) E. Rudigerus in Naeratiuncula de fratrum Orthodoxorum in Bohemia & Moravia Eccleſiolis, edita cum aliis ejuſdem argumenti tractatulis ſupra lit. à. citt. pag. 149.

(*n*)

Seculum XIII. Anno Christi.

(*n*) & quem primo loco nominatum oportebat. Illuſtrem P. Mornæum. (*o*)

Pervenimus ad ſeculum decimum quartum, quod quo proprius eſt luci, eo plures veritatis teſtes nobis exhibebit.

Diximus modo de Flandriæ Comite Balduino, nunc ipſi poteſtate & animo non diſſimilis ſe offert, Brabantiæ Dux, Johannes nec illuſtre minus animi à Tyrannide Romanâ alieni edidit Documentum. Jus autem Canonicum, ut vocant, jam obtrudebatur Chriſtianis, quo magiſtratus politicus excluditur à cognitione litium quarundam & rerum à ſe judicandarum. Hinc quæ ad Eccleſiaſticos ſucceſſionis jure devolvunt bona, ipſius cognitione eximuntur, decimationes item aliaque, quæ ad illos ſpectant. Quare etiam judices ſpirituales, ut vocant, conſtituti, quibus jus vitæ & necis conceſſum in criminibus hæreſios & infidelitatis: qui id ereptum eunt magiſtratui civili quem gladio armavit Deus, ad plectendos ſontes, & innocuos defendendos. Hoc autem cum obtineret iis in locis quibus Papa tanquam Dominus & Princeps, imperabat, non tanquam Epiſcopus præerat, idem & in aliis, ubi juriſdictio ipſi nulla, obtrudere

(*n*) In Notis ad Diſputationem Taboritarum Waldenſium Tom. II. pag. 324.

(*o*) In Myſterio Iniquitatis paſſim nominatim ad Annos 1302. & 1309.

Rom. XIII. 3. 4.

dere ſatagebat. Quod ne in Brabantiâ fieret, Johannes modo nominatus ſpeciali edicto cavit, magiſtratibuſque ſuis conceſſit & injunxit, ut poſthabitis ſpiritualibus judicibus, qui clanculum ſe tum, ingerebant, cauſam & lites hæreſios nomine motas cognoſcerent, dijudicarent, & de iis ſoli ſententiam ferrent. Quod anno hujus ſeculi ſexto latum, tam diu obſervatum fuit, donec regente Philippo Hiſpaniarum rege, Brabantis invitis obtruſi iſti judices ſpirituales. atque idem hoc edictum Deputatis quatuor Metropolium Brabantiæ (p) firmum præbuit argumentum, quo in libello ſupplici anno 1565. Senatui Brabanto oblato utebantur, ne ſcilicet Philippus Dux ſuis eriperet, quod Johannes item Dux iiſdem conceſſerat, quoque jam per duo ſecula & dimidium gaudebant, ut ſuo tempore & loco plenius dicemus, Adeo ſemper Belgæ Principes Magiſtratuſque juris ſui curam geſſerunt; neque cœcâ quâdam obedientiâ alteri permiſerunt. cui cum offertur accipere illud permiſſum non eſt, multò minus eripere invitis. *O homo, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit?* dicebat Chriſtus olim petenti alicui è turbâ, ut fratri ſuo juberet ſecum divi-

dere

Seculum XIV. Anno Chriſti. cIↃcccvI

(p) *I. Weſenbeeck, raet ende Penſionaris van Antwerpen in ſyn hiſtorie vanden ſtaet ende voortganek der religie in Nederlant eerſt in 8. gedruckt 1566 ſonder naem dee au-teur-daer nae in 4. 1616. tot Breda inde 1. druck pag 201 en 2. pap. 64.*

Luc. XII. 14.

dere hæreditatem quare adulteram increpavit quidem, ſed non punivit

Johanni Duci ſubjungamus Doctorem Nicolaum cognomento Gorram, Patriâ Tornacenſem. Quia autem Tornacum Galliæ Belgicæ civitas, imò quia Nicolaus in Galliâ vitam tranſegit etiam Gallus nominatus. Fuit autem ordinis Prædicatorum in Provinciâ Franciæ moderator, Philippo, cognomento, Pulchro, Francorum Regi à ſacris confeſſionibus, vir ſuo tempore graviſſimæ authoritatis, doctrinæ eminentis, & tam in Scholaſticis, quam ſacris voluminibus verſatiſſimus, ut ex Antonio Senenſi in Bibliotheca annotat Balthazar Lydius (q) additque *claruit* cIↃ CCCIV. *Simlerus ergo errat cum ponit annum* cIↃ CCCC *& ſeculo fere poſteriorem facit.* His autem ſubſcribimus niſi cum Senenſi duos Nicolaos fuiſſe dicamus, Gallum unum, Gorranum alterum. quod refutat tamen Johannes Cognatus (r) Sed quo nomine hic ejus mentionem faciamus videndum. Non alio certe quam orthodoxias & Papiſmi improbat. Quod ſequentia evincent & 1. quidem quod citetur Hermano Riid de Rheen (s) ut ὁμόψηφος in taxandis vitiis cleri. nec ei

Seculum XIV. Anno Christi. Joh. VI.II.II.

(q) Waldenſium Tom. 2. pag. 111. ſeu notis in diſput. Tabor. Cap. 15. cIↃCCCIV

(r) Hiſtoriæ Tornacenſis lib. 4. Cap. 15. ſup. cit.

(s) Libro de vita & honeſtate clericorum infra citando, qui extat in libro cui nomen antilogia Papæ, atque ibid pag. 653. & 657.

ei ſolum ſed & Johanni Lukawitz in Confeſſione Taboritarum Cap. 15. (t) in quo cauſas reddit quare ornatus in celebratione cœnæ depoſuerint, atque inter cætera ſic ait. *Non eſt uſus aliquâ ſpirituali veſte, ſed ut notanter Ioh* XIII *ſcribitur*, accepit veſtimenta ſua, *ſcilicet uſualia* ſecundum *Gorram, quod non feciſſet ſi pro tunc voluiſſet ſuos Sacerdotes habere obligatos ad utendum illâ veſte Aaronicâ vel aliâ ſpecialiter deputatâ ad miniſterium cœnæ dominicæ.* Hæc ille. aliud Gorrani teſtimonium ex G. Heymburgenſi citat Joh. Wolfius (u) in hæc verba. *Nicolaus Gorran ſuper verba Pſalmi* CVI. *illa*, fecerunt ſibi vitulum in Horeb. *ſcripſit, Vitulus Laſcivus juvenis eſt Prælatus voluptatibus deditus. Hi fabricatores & adulatores adorant doctorem vel Prælatum ſuum ut idolum, ut ab eodem exaltentur.* Hæc ille. Cæterum Mornæus (x) & Illyricus (y) citant Nicolaum quendam Gallum. Quæ autem de nativitate, tempore, loco, & munere ibidem referuntur, non conveniunt cum iis quæ de noſtrate Gorrano diximus quare adducor in eam ſententiam, quæ duos fuiſſe Nicolaos aſſerit atque hoc modo veritatis teſtium numerus augetur: nos tamen poſteriorem, ut

pote

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(t) Extat B. Lydii Waldenſium Tom. I. pag. 40. Joh. XIII. 4. 12.

(u) Lectionum Reconditarum & Memorabilium Cent. 14. pag 728. Tom. I. Pſ. CVI, 19.

(x) Myſterio iniquitatis

(y) In Catalogo Teſt. veritatis ad annum 1273.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Secſtlum XIV. Anno Chriſti. (y) Hæc ex illiſtri Mornæi Myſterio circa Annum cIɔccc-xvI.

pote Gallum catalogo noſtro non infe- rimus.

Non multò poſt hęc Colonię captus & igni adjudicatus eſt Lombardus (y) qui- dam præcipuus Waldenſium ſeu Lollar- dorum Doctor. Hic ibidem & vicinis in locis invenit veteres, & fecit novos, confirmavit utroſque, diſcipulos non paucos, quos ut etiam poſt mortem do- cere poſſet, linguâ vernaculâ ſcripſit & in vulgus ſparſit libellos in *quibus do- ctrinam ſuam*, ut inquit Author Chro- nici Hirſangienſis *ſacris ſcripturis com- munitam acriter propugnabat* & paulo poſt, *Ex hac fæce Bohemia tunc infeſtâ uſque in præſentem diem, iiſdem erroribus & turpitudinibus ſcatet.* Hæc ille. Cæ- terum errores & turpitudines illæ ſunt ementitę prorſus, adeoque in nullos mi- nus, quadrant, quam eos, qui earum rei vulgò habentur.

Offert ſe nunc nobis Nicolaus de Ly- ra cujus habitationis locus notus magis quam nativitatis. quare præter Belgas & Galli & Angli hunc ſuum faciunt: non aliter ac olim Græci de Homeri Patriâ certarunt. Sed hunc noſtratem eſſe fa- cile probare eſt. Quoniam conſtat in Belgii meditullio ejuſque maximâ & nobiliſſimâ Brabantiæ Provinciâ oppi-

dulum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

dulum ſitum eſſe cui *Lyra* nomen eſt unde pro more iſtius ævi cognomen aſſumpſit Nicolaus. Quare Deſiderius Eraſmus & Johannes Druſius, eum Belgam vocare, haud ſunt veriti. At verò Galli dum ſuum faciunt, ipſum Lyrâ non Brabantiæ oppido, ſed Normanniæ pago ortum ſcribunt, ut etiam legere eſt in Epitaphio, quod Pariſiis extat. Ad Anglos autem quod ſpectat, quo fundamento ſuum velint eſſe Nicolaum, ne divinando aſſequi poſſum. Verum enim vero lis hæc dirimitur à Johanne Druſio (z) qui ſe alibi in ſcriptis Nicolai legiſſe ſcribit, quod ſe *Brabantinum* vocet. Ergo Lyranus Belga & noſtras eſt quod & ſub finem operum ejuſdem editionum antiquarum & nominatum Baſilienſis Anni 1520. legere eſt. Hic autem, ſecundum nonnullos Judæis parentibus ortus, ſecundũ alios à Judæis inſtitutus, quicquid ſit, Linguæ Hebrææ peritus fuit. Quo anno natus non adeo certò conſtat ac quidem quo floruerit & fuerit denatus Conradus Genſerus. Cario, Abrahamus Bucholcerus aliique eum anno Hujus ſeculi vigeſimo floruiſſe ſcribunt, alii tamen ſerius: Nos Geſnero accedimus. Cæterum fuit Nicolaus ordinis Minorum Theologiæ doctor

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(z) In Expoſit. Difficile Loc. Gent. Cap. 15. Citante V. Andræa in Bibliot Belgica. in Vita Nicolai de Lyra ubi plura teſtimonia in hanc ſententiam vide.

cIↃccc-xx.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Chriſti.

ctor. Pariſiis autem vixit, docuit, ſcripſit, & obiit anno hujus ſeculi quadrageſi mo nono, conſentientibus iis qui modo diſſentiebant. Multa & præclara pro temporum quibus vixit infelicitate & obſcuritate, ſcripſit, barbaro quidem ſtylo, omnia tamen haud Barbara; quanquam inter cætera extat ejuſdem tractatus *de viſione Dei*, contra Papam unde colligere eſt ipſum non in totum Papæ addictum fuiſſe: ſcripſit & *Poſtillam*, ſeu *commentarium in univerſa Biblia*, in quo exploſa ſymbolicâ & allegorica interpretandi ratione, non Pontificias ſed orthodoxas profert & probat, difficiliorem & nunc controverſorum locorum explanationes atque adeo lumen accendit, in quo poſtmodum Lutherus aliique inoffenſo pede ambularunt; hinc verſiculus.

Si Lyra non Lyraſſet,
Lutherus non ſaltaſſet.

Ut autem pateat vera nos dicere de orthodoxis Lyrani explicationibus, peculiari tractatu ſecundum ſeriem locorum ſcripturæ id demonſtratum ibimus datâ occaſione: interea temporis ejus ſpecimen infra Lit. C. legere poteris, cui ſubjunctæ ſunt ejuſdem *interrogationes faciendæ infirmo morienti*. Orthodoxæ

Lit. C.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

doxæ ſane & minime cum Pontificiorum Hypotheſibus convenientes: ſimiles planè iis, quæ Anſelmum Cantuarienſem authorem habent, & infra ad annum 1475. legentur.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Lyrano Brabanto huic, addatur Gandenſis Flander, alter non degener Belga. Is eſt Johannes de Janduno, profeſſione Peripateticus quidem Philoſophus, ut ſcripta ejus Geſnero memorata oſtendunt; ſed qui Theologiam tamen non neglexit, imò ita tractavit, ut cum pro Imperatore Lodovico Bavaro ſtaret adverſus Paparum utrumque Dominatum, nominatim Corporalem ut vocant, & ejuſdem ferme ſententiæ eſſet, cujus eodem fere tempore erat Marſilius Patavinus, in tractatu inſigni, quem *Defenſorem Pacis* vocat autor & Papiſtæ vatiniano odio perſequuntur ab iiſdem ut hæreticus & Valdenſis habitus, quidem, imò à Johanne XXII. (a) cum Marſilio uno eodemque ſpeciali Decreto, Can. *Licet intra Doctrinam Apoſtolicam* &c. condemnatus, à bonis tamen omnibus etiam poſt obitum, nominatim à Wenceſlao imperatore, qui poſt Fredericum I. & Carolum IV. Ludovico ſucceſſit, in Epiſtolâ quâ *Eccleſiæ Chriſti monentur ſeſe vindicare in libertatem excuſſo Papa-*

(a) Catalogus Teſtium veritatis lib. 8. Cap. Ioh. de janduno ad Annum cIↃccc-xxIV.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

tus jugo, magni habitus nec ſine honore nominatus. (*b*) Sed audi inſignem Johannis de hâc materia ſententiam quam ex Joh. Baconthorpio ſuper 4. Sentent. I. Wolfius (*c*) citat in hæc verba. *Quod Chriſtus aſcendens dimiſit Eccleſiam ſuam ſine vicario: & quod Papa majorem poteſtatem cæteris præsbyteris non habeat, quodque Cæſari ſubeſſe debeat & ab eo judicari.* Hæc ille.

Gandenſi Flandro ſubjungatur Artheſius Bethunenſis, Johannes Buridanus. Rector Scholæ Pariſienſis ejuſque nomine Romam Legatus, profeſſione quoque Philoſophus, ſcriptis clarus, ſtylo quidem Barbarus, verum ſententiâ orthodoxus, adeoque ut inter Theologos referendus, pro ſtudiorum communione, ita & inter teſtes veritatis. Nullo enim modo placuit ipſi quod Romæ ex Pelagii ſententiâ de Peccatoris coram Deo juſtificatione tum temporis audiverat; & paſſim receptum erat. atque adeo renaſcenti de gratuita per fidem in Chriſto juxta Scripturæ doctrinam, juſtificatione, renaſcenti inquam ſententiæ adſtipulabatur Buridanus noſter, nec ſolus; conſentientes enim habuit Andream de Caſtello; Gregorium Ariminenſem, alioſque Scholæ Pariſienſis Do-

(*b*) Mornæus Myſt. iniquit.. ad Anno 1404.

(*c*) Lectionum Memorabilium, & reconditarum. Cent. 15. pag. 914. Tom. 1.

Doctores. ſententiam ſuam orthodoxam Buridanus in 3. Ethicorum Ariſtotelis propoſuit. Hæc cum Catalogo teſtium veritatis (*d*) ad medium hujus ſeculi refero.

Seculum XIV. Anno Chriſti. cIɔcccL.

Floruit hoc tempore quidam M. Wilhelmus Frieſen, Maſtrichenſis Brabantus, qui vel ſolo vaticinio ſuo, de certo ſequuturo Eccleſiæ Romanæ, tum temporis ut corruptiſſimæ, ita nec Wilhel. probatæ dehoneſtamento, diminutione & ſubverſione hic memorandus occurrit. quæ omnia quia eventus, maximam partẽ hactenus comprobavit, eò libentius illud ipſũ hoc referam loco, prout id apud Johannem Wolfium extat Sic autem ibidem Legitur, *Totus clericatus & ij qui ſacra tractant prorſus humiliabuntur, & præ ingenti fame in anguſtum redigentur & diſtorquebuntur. Monaſteria diruentur, & Monachi Sacrificulique in iis degentes in extrema paupertate exulare cogentur, nec ullibi locum invenient, ubi tuti eſſe poſſint. Prælati Eccleſiarum non ſerico, non purpura, coccino, byſſo aut aliis prætioſis veſtibus induentur, Temporis enim ſucceſſu Romana curia undiquaque labefactabitur: nec Pontifex, nec Cardinales, nec Apoſtolici nuncii, nec Epiſcopi, nec quiſquam Prælatorum & magnatum Spiri-*

(*d*) Libro 18. in vita Gregorii Ariminenſis.

(*e*) Lib. citato ſæpius & pluries citando in poſterum, Cent. 14. pag. 645. Tom. I. ad Annum cIɔcccLX.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

tualium, qui in omnibus blaſphemiis & nefandis libidinibus ſe circumvolutant, in ſuo dominatu permanebunt Nam ob eorum avaritiam, ſuperbiam & alia quamplurima peccata grandia, amittent omnem Gazam, omnia dominia, arces, & ſplendida domicilia. Principes, Reges, & Proceres contumelia ipſos afficient: inclementer & immiſericorditer tractabunt, omni eorum dignitate, potentia, pompa & inſolentia, imo & omnibus Eccleſiaſticis Facultatibus quas latrocinando, defraudando & mentiendo acquiſiverunt, exuent & privabunt: & tam denudatos dimittent, ut vix ſtoream tegetem aut centonem ad tegendum corpus habeant, prout perſecutores erga ipſos affecti fuerint. Expellentur enim & ludibrio habebuntur: de angulo in angulum diſcurrent quærentes locum quo ſe proripere queant, uti videbunt, & experientur illud haud dubie, nec mutare nec evirtae poterunt, ſed pati cogentur Tum demum ſapientes & intelligentes reddentur ut humili mente peccata ſua fateantur: & obortis lachrymis & flebili voce Dominum Deum invocabunt & dicent; ò Domine, bonum eſt quod cruces, afflictiones, perſecutiones & ingentes ærumnas ſuſtinemus Supra modum enim in te peccavimus: avari, ſuperbi, luxurioſi, libidinoſi, deſides & innu-

meris

meris aliis onuſti ſceleribus fuimus. Hæc ita ſi confitebuntur, & ſcelerum pænitudi ne ducentur, tum Deus Eccleſiaſticum ordi nem in primum priſtinum & qualis Apo ſtolorum temporibus fuerat reſtituet, medio-cres ſuſtentationes, unde pro neceſſitate ho-neſte & pie victitare poterunt, recipient. Cæterum ampla ſalaria, reditus & pro-ventus dapſiles nunquam recuperabunt: nec copia, vim & tyrannidem in ſuos ſibi com-miſſos exercendi, dabitur iis. Seculum XIV. Anno Chriſti.

Tale infortunium ſpirituales manet, & brevi in eos redundaturum eſt quod prolatu & conſignatu ἀδύνατον *eſt. Hoc ſuaſu opti-mum ut nonum caput Ezechielis Prophetæ diligenter relegatis & animum adverta-tis: ibi enim execranda vaticinia plurima ad Eccleſiaſticos cernentia deprehendetis.*

Poſtea non magni fiet potentia humana, nec Epiſcopatus & dapalia ſtipendia ſacer-dotalia pecunia acquirentur. ſed ii ſolum-modo qui digni ſunt, & verbum Domini annunciare valentes eligentur, ut in primi-tiva Eccleſia Apoſtolorum factitatum eſt: quantumvis abjectiſſimi & excrementa quaſi mundi habeantur. Indulgentiæ, miſſi-ficationes & ejuſcemodi nugæ, prorſus abo-lebuntur: Quilibet Eccleſiaſtico ſuo munere in loco deputato perfungetur: modico victu, & alimento mediocri illis proſpicietur.

Seculum XIV. Anno Christi.

Hactenus vaticinium.

Nunc ad alia Author Catalogi Teſtium veritatis (*f*) facit mentionem planctus cujuſdam Rythmici, qui Authorem habet Bernhardum Weſterrodi, quem Weſtphalum eſſe & Corbejenſem monachum fuiſſe ex Tritthemio ſuſpicatur. Planctum autem non ipſum recenſet, ſed paucis verbis ejus contentum exprimit dicens in eo authorem *graviter admodum inſectari malitiam cleri*, & quæ plura ibidem leguntur. Ego vero, quia nuper in memorato Wolfii rariſſimo libro, (cujus ut & aliorum ſcriptorum uſum, me debere lubens agnoſco humanitati Ampliſſimi & mihi Amiciſſimi viri Rochi Hofferi, J. C. & in Patriâ urbe zirizeâ Scabini æquiſſimi) eum ipſum & quidem integrum legi, non gravabor eundem deſcribere, & hic inſerere. Refero autem hunc cum Wolfio ad Annum hujus ſeculi Sexagemum (*g*)

(*f*) Lib. 16. Cap. Bernhardus weſterrodi.

(*g*) Lib. Tom. & Cent. citt. pag. 657. ad Annum cIɔccc-LXVII.

Planctus

BERNHARDI WESTERRODIS CORBEIENSIS.

C*Ollationis gratia*

Per-

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Pertracturus aliqua
De ſtatu Clericali:
Narrabo de inſania,
Quæ regnat in Eccleſia,
Proceſſu Criminali.
Vbique nunc religio
Recedit a veſtigio
Sanctorum Præceſſorum.
Mundanis eſt mundanior,
Et vanis multo vanior,
Vbilibet locorum
Non eſt in ea ſanitas,
Sed vanitatum vanitas,
Et omnia neglecta
Permixta ſecularibus
Et fæminis & maribus,
Omnino fit deſpecta.
A maximis ad minimum,
Vix habet unum filium
Religio tam ſacrum
Qui pure propter Dominum
Religionis habitum
Portare videatur.
Sed permulti nunc, proh dolor,
Converſi quidem non ad cor,
Sed magis ad pulmonem:
Vt vivant commodius,
Et bibant glorioſius,
Intrant Religionem.
Non ſic vos impii non ſic,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Sed tanquam pulvis eſtis hîc,
Qui rapitur de terra:
Si vivitis neutraliter,
Torquebimini pænaliter,
Sub inferorum ſerra.
Indigni Deo Domino
Deſpecti quoque ſeculo
Peribitis in Guerra:
Vos omnes eſſe timeo
De preſbyterorum numero
damnabili revera.
Omnes ad Clericalia
Recurrunt ut per talia
Quæ ſua ſunt, acquirant:
Meſſiam non inveniunt,
Nec invenire cupiunt
Spontanee delirant.
De Chriſti patrimonio,
Sub pompis & præconio,
Viventes intumeſcunt:
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubeſcunt.
Non ſolum noto monachos,
Sed etiam canonicos,
Et fictas moniales:
Quæ propter Ieſum minime
Videntur eſſe filiæ,
Et filii ſpiritales:
Sed magis ut divitiis

Fruan-

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Fruantur & deliciis,
Et cæteris cupitis:
Quæ replicare nequeo,
Nec volo, neque debeo,
De iſtis hypocritis.
A quibus multa patitur,
Confunditur & quatitur
Navicula marina:
In qua dormit jam dominus
Quem ſuſcitat diſcipulus,
Et poſtulat divina.
Væ mundo nunc à ſcandalis,
Et clericis & Laicis
In mundo conſtitutis:
Impellitur navicula,
Iam tanta ſunt pericula,
Quod vix eſt ſpes ſalutis.
Vix tamen ſurgit aliquis,
Et rogat Dominum pro iis
Periculis inſtanter:
Ne navis ſanctæ fidei
Mergatur ab hypocryſi,
Quæ regnat abundanter.
In cunctis terræ finibus,
In ventis & turbinibus
Innumeris tam dire:
Quod niſi Deus Faciat
De ſpeciali gratia,
Timendum eſt, perire.
In die propinquiſſimo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Zizania cum tritico
Et é converſo quidem:
Nam Satan eſt in foribus,
Et in mille coloribus
Ad deſtruendum fidem,
Quam Chriſtus ſuo ſanguine
Conſtruxit in examine
Cruentæ paſſionis:
Dum perfidos damnaverat,
Et Credulos ſalvaverat
In propriis perſonis.
Quid amplius ediſſeram,
Si vera loqui debeam,
De vita clericorum?
Prælati ſedent hodie
In opulenta requie,
De ſorte miſerorum
Vivendo ſupervacue:
Qui charitatem maxime
Deberent exercere,
Præ cæteris fidelibus,
In omnibus hominibus
Virtutes exhibere
Cum bonis exemplaribus
Tam fæminis quam maribus:
Viam ſalutis dare:
Non alta quidem ſapere:
Non fremere: non rapere:
Non aliquem truffare.
Hæc eſſent meritoria,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Servorum Dei gloria,
Fidelium tutela:
Per quæ manerent Principes,
Et Chriſtiani ſimplices
In fidei ſequela.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Sed ubi poſſunt hæc diſcerni?
Cum nec priores, nec moderni
Pro Deo Famulentur:
Imo pro temporalibus
Omnes ceu ſpiritalibus
Inſiſtere videntur.
Majores cum minoribus,
Indocti cum Doctoribus,
Et cæteri de Clero,
Non habent rectam ſpeciem,
Nec curant cæli præcium,
De Chriſto, Deo vero,
Sub cujus umbra latitant,
Et ſua bona diſſipant
In pompa ſeculari:
Sunt Pilati, non prælati
Plus quam tyranni, depravati:
In virtutibus ignari.
Per quos & grex fidelium
Tractatur in interitum,
Meſſia permittente:
Corrupti ſemel pereunt.
Abominabileſque facti ſunt,
Diabolo ſuadente:
Non eſt qui bonum faciat,

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Non eſt qui deum diligat,
Inutiles effecti.
Ad munera reſpiciunt,
Iuſtitiam non ſitiunt,
Deliciis illecti.
Non vivunt Chriſtianiter;
Nec juſte nec humaniter,
In ſeculo præſenti:
Vt magna fortalitia,
Et plura beneficia
Poſſideant, intenti.
Eorum vere ſpiritus
Inanis eſt & irritus
Ad Dei famulatum:
Ab iſtis omnis gravitas
Egreditur, & ruit pravitas
In ſeculo paſſatum
Emergit inſolentia,
Recedit conſcientia
Communiter à clero:
Quæ qualis, quanta furia
Committitur in curia?
De curtiſanis quæro.
Nam illi ſciunt practicam
De Simone truffaticam,
Scripturas & calendas:
Quas ille mille artifex,
Diabolus, illorum rex
Invenit exercendas
Vt pauperes abjiciant,

Et

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Et divites alliciant:
In, modis, & in formis.
Quid alud per atria,
Quam patens jdolatria,
Et clericus enormis?
Non pſallitur Davidice
Sed prorſus hypocritice,
De beneficiatis:
Qui qualiter & quomodo
Servire ſolent domino,
Iam dicebatur ſatis.
Nunc de eorum veſtitibus,
Et moribus, & geſtibus
Ad modicum tractabo:
In quibus fatualiter
Et mere laicaliter
Incedunt, increpabo.
Canonici, cum cæteris
Collegiorum ſociis,
Mundaniter imbuti,
In variis & ſerico
Veſtiti vadunt, jericho
Molliſſimis induti.
Ne quid eorum corpora
Suſtineant vel aſpera
Tenerrimos offendant:
De precioſis pellibus,
Subtilibus & mollibus
Camiſias emendant.
Vt placeant hominibus,

Ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Christi.

Nituntur ſuis crinibus
Incedere politis:
Coronas in capitibus
Ferunt de pilis mitibus,
Et rebus exquiſitis.
Sic imitantur Dominum,
Qui pro ſalute hominum
Eſt ſpinis Coronatus.
Sic ſerviunt altiſſimo,
Qui non pepercit filio,
Dum ſtetit immolatus:
In cruce nudis genibus
Et manibus & pedibus,
Et dextra perforatus,
Sic deridetur Dominus,
A ſervo nihilominus
In via proſperatus.
Præbendas habet quatuor,
Et eſt Eccleſiæ paſtor,
Vel potius mercator:
Si forte chorum viſitat
Non propter Ieſum ibi ſtat,
Præſentia ſpectator.
Mox habita præſentia,
Cum magna vehementia
Recurrit ad mundana:
Sequentibus conſociis,
In ſeculi negotiis,
Multiplicat prophana,
Cum longis amplis manicis,

Et

Et actibus tyrannicis,
Incedit equitando:
Perſequitur Deificos,
Subſannat ſcientificos,
In malis gloriando.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Eligitur Præpoſitus
Decanus vel Scholaſticus,
Vt alios defendat:
Qui ſemetipſum deſtruit,
Et omnia quæ repperit,
Diabolo commendat.
Vocatur tamen arduus,
Vir probus atque ſtrenuus
In terra Weſtphalorum:
Quæ plena eſt maleficis
Raptoribus, veneficis
Faſcina miſerorum.
In qua laudatur impius,
Peccator imperterritus,
In laicis & clero:
Qui clauſâ conſcientiâ
Non pertimeſcit aliqua
Nefaria ſub cœlo.
Nil plus de hac materia
Tractabo nimis ſeria,
De aliis intentus:
Plangam de ſecularibus,
Et arguam audacius
Studentium conventus.
Iam fit Magiſter artium,

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Christi.

Qui neſcit quotas partium
De vero fundamento:
Habere nomen appetit,
Rem vero non curat nec ſcit
Examine contemto.
Iam fiunt Baccalaurei,
Pro munere denarii,
Quam plures idiotæ:
In artibus & aliis
Egregiis ſcientiis
Sunt beſtiæ promotæ:
Quid dicam de preſbyteris,
Quos præſul ſine literis
Ad ordines deducit?
In quibus nec ſcientia,
Nec vitæ condecentia
Ad minimum relucet.
Apparet de militibus,
Qui bellant pro divitibus
Pauperibus neglectis:
Hos nituntur devaſtare
Quos deberent defenſare
Sermonibus & factis.
Vt mihi dicunt, ſomnia,
Perverſe fiunt omnia
Quæ cernimus in mundo
Iam dies eſt noviſſima,
Vt credo, propinquiſſima
Dolore cum profundo
Peccatis exigentibus,

Ci-

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Citiſſime peribimus,
Propheta conquerente:
Heu qui nunc dilatabimur
Subito tunc damnabimur
Malefica cum gente.

Hactenus planctus. in quo conſiderari volo non elegantiam verborum & quidem poeticam, licet in illo carminum genere, tum temporis uſitato, non inelegans ſit, ſed graphicam vitiorum cleri cujuſvis illius ævi & loci deſcriptionem & intrepidam eorundem reprehenſionem, ſimilem planè ſuperiori, quæ in vaticinio Wilhelmi Frieſen occurrebat.

Ad hæc tempora refero verſus alios, ſed minus elegantes Guilielmi Jacobi Echmundenſis in Hollandiâ Monachi Benedictini: non quod res iis memorata hoc ſeculo contigerit, ſed quod eorum autor hoc tempore vixerit. Verſus autem excerpti ſunt ex ejus pœmatio de vitis Pontificum: in quo pro eruditione & more ſeculi verſificando, veram narrat Hiſtoriam de Johannâ Papiſſâ, ut ſcias Belgas noſtros etiam Papiſtas, non erubuiſſe veritatem confiteri, quam in dubium vocant hodierni Jeſuitæ, cujuſque pudet illos, qui ſcortum

&

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(h) Lib. 10. Cap. Epiſcopi Romani tit. de Johanne 8. narratio ex Hiſtoriis collecta ad Annum 853.

& meretricem ſuam Babyloniam, matronam honeſtamque fęminam eſſe clamant, ipſi impuri ejus lenones ſimul & fornicatores Sed verſus ipſos videamus. Quos eo loco recenſet Author, Catalogi Teſtium veritatis, (h) quo Epiſcoporum Romanorum pertexens Hiſtoriam certis & indubitatis teſtimoniis authorum Pontificiorum probat Johannem VIII. Leoni ſucceſſiſſe, eumque ementito ſexu, non virum, ſed fæminam fuiſſe, libros & liberos. parientem ita autem Guilelmus Jacobus Ecmondenſis.

Priuſquam reconditur Sergius vocatur
Ad ſumma qui dicitur Iohannes, huic adatur.
Anglicus: Moguntia iſte procreatur.
Qui ut dat ſententia, fæminis aptatur
Sexu, quod ſequentia monſtrant: breviatur
Hæc vox. Nam prolixius chronica procedunt
Iſta, de qua brevius dicta minus lædunt.
Huic erat amaſius, ut ſcriptores credunt:
Patria relinquitur Moguntia, Græcorum
Studioſe petitur ſchola. Poſt Doctorum
Hæc Doctrix efficitur. Romæ legens horum
Hæc auditu fungitur loquens Hinc proſtrato
Summo hæc eligitur: ſexus exaltato
Quandoque negligitur. Fatur quod hæc nato.

Per

Per ſervum conficitur. Tempore gignendi
Ad proceſſum equus ſcanditur, vico flendi
Papa cadit. Panditur improbis ridendi
Norma : puer naſcitur in vico Clementis ,
Coloſſeum jungitur : corpus parientis
In eodem traditur ſepulturæ gentis.
Faturque ſcriptoribus , quod Papa præfato
Vico ſenioribus tranſiens amato
Congruo ductoribus ſequitur negato
Loco, quo Eccleſia partu denigratur,
Quamvis inter ſpacia Pontificum ponatur
Propter ſexum.

Hæc ille. addit Illyricus Admonitionis gratiâ, *Poeta hic ſubjungit Sergio Ioannam, præterito Leone* IV. atque hæc hactenus.

Circa hoc tempus Archiepiſcopus Colonienſis uxorem habuit eique cohabitavit, ut ex P. Præmonſtratenſi obſervat Franciſcus Alers (*i*) Hæc in eum finem refero , ut pateat non niſi ex vero vulgo à noſtris dici , quod & paſſim in hoc opere obſervatur nullis cælibatus legem minus quam Germanis. Quod Illyricus ſæpius docet & ex Gebuilero Pontificio annotat Joh wolfius, tempore Henrici IV. in Gallia & Germania circiter viginti quatuor Epiſcopos unà cum clero ſuarum dioceſium & conjugatos fuiſſe & conjugium Sacerdotum conſtanter defendiſſe ſed hæc in tranſcurſu.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(*i*) *In ſyn tractaet vande menſchelycke inſettingen der Roomſche kerc-ke*, pag. 69. Edit 1. anni 1566. ad Annum cIɔccc-LXXI.

(*k*) Lib. cit. Cent. XI. Tom. 2. pag.

Nunc

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Nunc poſt vaticinantes, plangente[...] que homines ut ita dicam privatos, ſta[...] tuentes è que ditione ſuâ ejiicientes ma[...] giſtratus videamus, idem hominum ge[...] nus contra quod vaticinatus eſt Frieſen[...] quodque luxit B. Weſterrodis. Res erg[...] ita ſe habet zirizeæ, Zelandiæ antiquiſ[...] ſimo oppido, vivebant monachi etian[...] peſſimi, quibus prophanè vivere no[...] ſatis erat, niſi & inter ſe rixas alerent &[...] certamen inirent. à verbis ad verbera, [...] pennâ ad gladium deventum. duo ho[...] rum commiſſi inter ſe punctim an cæ[...] ſim neſcio, hoc ſcio unum violent[...] morte cecidiſſe, alterum parricidium[...] dicam an monachocidium, commiſiſſe[...] Hic autem reus ut coram Deo erat ita &[...] coram civili magiſtratu. cui ex Pauli ad Romanos, & Petri ad judæos converſo[...] doctrina, omnis anima ſubjecta e[...] quemque gladio armavit Deus, ad de[...] fendendos benefacientes, & plectendos ſontes. Quapropter Magiſtratus ziri[...] zeanus non ſolum parricidam punivit ſed & cæteros omnes, tanquam inutilia terræ pondera civitate ejecit. edictoque cavit ne unquam in eam redirent. hęc ex actis urbis refert Celeberrimus Boxhornius (*l*) qi o facto ut pro parte præcedens vaticinium impletum eſt, ita mi[...]

Rom. XIII. 14. 1. Pet. II. 14.

(*l*) *In ſyn vermeerderde Chronyck van Zeelant* part. 2. pag. 171. 172. ad Anno cIↃccc-LXXXIII

ran[...]

andum hoc, illo tempore auſum fuiſſe magiſtratum zirizeanum, quo non ipſis Spirituales ut vocant, ſed ipſi ſpiritualibus ſuberant. Verum hæc in præludium excutiendi ſuo tempore & per Dei gratiam excuſſi jam ab illo aliisque Papatus jugi, illos feciſſe haud eſt dubium.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

Nunc hiſtoriam Gerardi de Groot, ſeu magni, videamus. Is autem alio Daventrienſis nomine, à Patriâ aſſumpto cognitus magis, adeoque illo etiam nobis nominandus. Gerardus Daventrienſis ergo lucem hanc vidit anno hujus ſeculi quadrageſimo. adultâ ætate Pariſios, celeberrimum tum & unicum fere in his oris Gymnaſium animi formandi cauſa miſſus, eum ibidem gnaviter excoluit. Hinc ad ſuos reverſus, primum Trajecti ad Rhenum, dein Aquiſgrani canonicum, ut vocant, egit. Tandem domum reverſus alios docere incœpit, inſtituitque inſuper Collegiũ *Fratrum* ut vocabat *bonæ voluntatis.* hi autem deſcribendis Patrum laboribus primũ, dein docendæ juventuti operam dabant. Hinc excitatâ nominis celebritate, undique ad ipſum confluebant, qui doceri neceſſe habebant, unde & ipſa Daventria celebris facta: quia quos habuit

Seculnm XIV. Anno Chriſti.

habuit & reliquit diſcipulos quamplu-
rimos præceptorum munere, alii po
alios functi ſunt. Quare huic Gerard
Daventriam ut famæ ita & ſcholæ in-
crementum non ſolum ſed & originem
debere exiſtimo. quia Belgii Athenas a
illo tempore fuiſſe ex ſuccedentium
præceptorum ſerie, facile conſtat, quan
eo miſſi litterarum & facultatum ſtu-
dioſi, ſi modò diligentiam adhiberent
doctiores ad ſuos rediere. multi inter eo
celeberrimi. Quorum familiam ducun
Thomas à kempis & Eraſmus Rottero-
damus, ille ob pietatem, hic ob erudi-
tionem orbi litteratorum notiſſimi
quibus & infra ſuus attributus honor
Gerardo autem Daventrienſi hic debe-
tur locus, partim ob jacta litteratura
poſtmodum excultæ, fundamenta (in
certum præludium, quod litterarum
Barbarie depulsâ depelleretur & ea qua
erat religionis) partim denique quod
verbum Dei ferventiſſimè prædicaverit
ſcribente Chriſtiano Maſſæo. (*m*) Dia-
conus Eccleſiæ fuit, non Præsbyter. Di-
cere etenim ſolebat, *Pro toto auro Ara-
biæ nollem habere curam animarum, vel
ſpacio noctis unius.* Quo quidem dicto
noſtro judicio ſignificabat non tam ſe
eſſe indignum aut oneri iſti imparem

(*m*) Chron. Lib. 17. ad Anno 1329. cit. Val. And. in Bibliot Belgica in Vita Gerardi Magni

quam

quam quidem gravitatem muneris ab unâ parte, & levitatem ne quid pejus dicam præsbyterorum ſui temporis ab alterâ parte. Hinc in Epiſtola ad quendam Sacerdotem (*n*) *Væ omnibus presbyteris & Clericis, Chriſti militibus, ſi non legitime certaverint. Niſi enim quis Chriſti preſbyter & clericus legitime certaverit, non coronabitur. Attende (precor) tu miles Chriſti, preſbyter & clerice ſi contra Chriſti Iuſſa in ordine ſervis, procul dubio diabolo ſervis, & cum eo punieris. Si prout Chriſtus imperator jubet, cum presbyter ſis militare deſideras, ſcias hæc te non poſſe complere, niſi cum operum bonorum labore, non tantum ſacrorum verborum frequentia, & niſi cum pænis & periculis.* Ad hæc in Epiſtolâ ad Henricum elingebilium Huxarum Sacerdotem mundanum, ſeu Laicum, ut vocat, *ſui temporis religioſos multis modis taxat accuſatque eos lenocinii, ebrietatis, avaritiæ hypocriſios, luxuriæ, pigritiæ, ambitionis & cujus non peccati.* addit *eos neque Deũ neq; homines metuere: quare væ ipſis occinit, pænas peccatis promeritas proponit, iiſque afficiendos, niſi convertant ſe,* certo certius pronunciat. Hæc privatim ſcripta; publicè edidit tractatum *contra fornicarios Sacerdotes*, aliaque his ſimi-

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(*n*) Citanre Hermanno de Ryd Cap. 5. de vita & Honeſtate clericorum.

Seculum XIV. Anno Chriſti. cIɔccc-LXXXIV.

ſimilia (*o*) ita admonendo, carpendo docendo, ſcribendoque vitam tranſegit & tandem finiit anno ætatis ſuæ quadrageſimo quarto. qui fuit ſeculi hujus item quarto ſupra octuageſimum. Plura de GerardoDaventrienſi qui cognoſcere cupit conſulat Jacobi Revii Hiſtoriæ Daventr. lib. 1. pag. 28. 34. ubi vitam, popularis ſui fusè proſequitur vir Clariſſimus, & inter cætera de eo teſtatur, quod Amſtelodami primam Belgico ſermone habuerit concionem: & cum cleri vitia paſſim taxaret, mala multa paſſus ſit, quin & apud Pontificem Urbanum VI. accuſatus, quaſi de fide, Romana ſcilicet ſequius ſentiret.

(*o*) I. Wolfius lib. cit. Cent. 14. pag. 637.

Eodem hoc tempore floruit in Viridi Valle prope Bruxellas Brabantorum Johannes Ruysbroek Prior Canonicorum Regularium. De eo ſic Hornenſis (*p*) *Vir clarus habetur, vir admodum devotus & illuminatus, etiam multa ſcripta in Teutonico reliquit.* quæ per alium poſt ejus mortem in latinum ſermonem converſa, teſte Geſnero inter cætera *de ornatu ſpiritualium nuptiarum lib.* 3. contra cujus tractatus tertiam partem teſte eodem, Johannes Gerſon, Cancellarius Academię Pariſienſis, poſtmodum ſcripſit. hunc refutare, deinde conatus eſt Johannes

(*p*) In Faſciculo Temporum ad Anno ſupracitatum

hannes de Schoonhaviâ, ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini lib. uno, quem *defenſorium Ioh. Ruysbroeck* vocavit. Schoonhavius autem floruit in Belgis eodem tempore quo Gerſon in Galliâ, quadraginta annis poſt Ruyſbroeckium ſc. ſeculi ſequentis vigeſimo. Cæterum in Catalogo operum Gerardi Daventrienſis exhibito à Clariſſimo Revio (*q*) lego eundem etiam ſcripſiſſe *in librum* I. *Ruysbroeckii qui dicitur ornatus Spiritualium nuptiarum*, item *in librum ejuſdem de duodecim virtutibus*, quod an in bonam an in malam partem ſumendum ſit hactenus ignoro, ſc. utrum ſint caſtigationes, an verò explicationes; hoc tamen tutò mihi licet affirmare. Quod uti Johannes Taulerus Eccleſiaſtes Argentinenſis (*r*) in ſuperiori ita Johannes Ruysbroeckius in inferiori Germaniâ ſcriptis ſuis jecit fundamentum Enthuſiaſmi hodierni: qui, proh dolor, nimium hodie regnat ut pateſcat nec cum reformatione nec ut Calumniantur à Reformatis hæreſes, natas aut defenſas. antiquiores illæ ſunt quàm illa, alioſque quàm hos, illos ipſos authores habent. Cæterum non diffitendum habere & alioquin & Taulerum & Ruyſbroeck nonnulla laudanda: tandem

Seculum XIV. Anno Christi.

(*q*) Lib. cit. pag. 34.

(*r*) *Philips van Marntx in ſyn onderſouckinge en grondelycke wederlegginge der geeſt-dryviſche leere*, part. 2. præſ. pag. 6.7. item parte 2. ipſe Cap. 6. pag. 40. 8. 1595. 5. 1. *Hoornbeeck* 19. *ſumma controverſ. Theol. lib.* 6. *pag.* 408. *in* 8. 1653.

Seculum XIV. Anno Christi. dem etiam contra Gerſonē Ruysbroeckius nactus hyperaſpiſtem Dionyſiū Carthuſianum, cujus & infra meminimus, ſed meliori quàm hoc titulo & nomine.

Diximus modo de Gerardi Daventrienſis inſignibus nec pænitendis diſcipulis: hos inter prę cęteris memorandus venit, Gerardus Zerbolt nomine, Zutphanienſis natione: qui anno ætatis ſuæ trigeſimo primo, duodequadringēteſimo milleſimo ſalutis obiit. Hujus orthodoxiæ ſpecimina ex Scriptis & propriis verbis exhibet Clariſſimus Revius (*t*) ſūt ea concernentia Authoritatem S. Scripturæ, ejuſdem lectionem aſſiduam, precum dictionem, in linguâ vernaculâ, item confeſſionem non auricularem ſed mutuam, ex Jacobi ſententiâ, aliaque ut lectu digniſſima, ita in Pontificiorum dogmata incurrentia: quæ omnia, quia ſic ſatis prolixa ſunt, & liber ipſe nuper admodum Lugduni in Batavis prodiit, nos iis exſcribendis ſuperſedemus. excerpſit autem illa ex MS. nec uno authoris libro, nominatim ex libello *ſuper modo vivendi devotorum hominum ſimul commorantium & de libris Teutonicalibus*: qui agit de lectione Sacræ Scripturæ, ejuſque in linguam vernaculā verſione, contra eos, qui *credunt & dicunt homini-*

cIↄccc-xcviii.

(*t*) Hiſt. daventr. lib. 1. pag. 37-60.

Jacob. v. 16.

bus

bus laicis & illiteratis fore illicitum divinam ſcripturam relegere & in ſacra pagina ſe exercere, atque proinde libros devotos in vulgari idiomate editos, ſeu etiam ad ipſum tranſlatos, qui ſolum vel maxime ſunt pro laicis æſtimant merito debere reprehendi, fugari penitus & eliminari, ut ejus initio inquit ipſe zutphanienſis, quos ibidem, *S. Scripturam minus intelligentes, aut patrum ſanctorum dicta conſiderantes* vocat. Sed manum de tabulâ. adeat Curioſus lector ipſum Revium legatque apud eundem Gerardum ipſum nec lectionis pœnitebit. Seculum XIV. Anno Chriſti.

Claudamus ſeculum hoc Johanne Froiſſardo, natione Valencennenſi, Canonico ac theſaurario Chimacenſi. hic ab anno 1355. uſque ad annum 1390. res ſuo tempore geſtas libris 4. prolixe conſignavit, idiomate Gallico: quos deinde Johannes Sleydanus à ſe contractos latinè edidit. locum Froiſſardo hic non immeritò aſſignamus. Nam pręterquã quod multa aliorũ contra Papæ dominatũ dicta factaque litteris mandavit nominatim ea quæ Johannes à Rupeſciſsâ Franciſcanus Avenionenſis contra eundem, fecit, dixit ſcripſitque & propterea paſſus eſt, ipſe quoque datâ occaſione non veritus eſt liberè ſuum de Ec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XIV. Anno Chriſti. (*u*)Froiſſard. vol. 3. Cap. 24. citante P. Mornæo Myſt. Iniquit. Circa Annum 1400.

cleſiæ malis eorumque cauſis, judicium proferre. lubet hic adſcribere ejus ipſa verba (*u*) *Scio* inquit, *fore, qui futuris temporibus mirentur, quo pacto Eccleſia in tales turbas incidere potuerit, in iiſque tam diu hærere. Sed vulnus hoc à Deo inflictum, unde Clerus admoneretur, in quanto luxu & ſuperfluitate verſaretur: Verum, nemo advertebat, excæcatis omnibus ſuperbia & arrogantia, qua quiſque alteri par eſſe volebat. Quare ruebant in pejus omnia: & niſi fides noſtra, manu & gratia ſpiritus ſancti, qui corda devia illuminat, inque unitate firmat, corroborata fuiſſet, haud dubie collapſa eſſet.* Hæc Froiſſardus: ad quæ erudite obſervat Morneus, *Pontificibus igitur feliciter ſubnixa,* ſi *Froiſardo fides*, ſubjungitque ſequentia ejus verba: *namque Principes terreni, à quibus initio Eccleſiæ opes, ludis & jocis toti indulgent, dum hæc Chronica ſcribo, anno* 1390. *unde innumera plebecula obſtupefacta miratur, quod tam magni Principes Reges præſertim Franciæ & Germaniæ, de remedio conſilioque non cogitent.* Hactenus verba Froiſſardi de cujus mente & ſententiâ ſic porro ſcribit Mornæus, *Quod proinde Remedium eo judice à Principibus illis expectandum potius, quam à Pontificibus. qui ipſi Eccleſiæ morbus, humor in*

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ejus corpore potiſſimum peccans. Et ibi late explicat, ut quiſque Princeps hujus aut illius partes amplexus, prout rebus ſuis conſultius eſſe viſum: Sed eo redit: Eam eſſe Eccleſiæ ſuperbiam, ut caſtigari & ſpoliari eam neceſſe ſit, eoque proprie narrationem illam de fratre Iohanne de Rupeſciſſa adducit quam in ſuperioribus Mornæus latè proſequutus eſt, & cujus ſummam ipſe Froiſſardus (*x*) his verbis tradit. *Hæc nimirum ſimultas & diſſenſio Pontifi cum* (urbani ſcilicet & Clementis) *in diverſa ſtudia rapuit omnes fere Principes & reges. Hoc malum & alia multa, quibus aliquando premeretur Eccleſiaſticus ordo, Franciſcanus quidam Monachus Innocentii temporibus prædixerat, conjectus Avenjone in vincula hoc nomine: & quod in Scripturæ auctoritate ſua firmaſſet dicta, capitis pœnam luiturus.* atque hæc de Froiſſardo, cum quo, ut diximus ſeculo præſenti finem imponemus.

Seculum XIV. Anno Chriſti.

(*x*) Lib. 2. Hiſt. citante Joh. Wolfio lib. cit. Cent. 14. circa finem. pag. 730.

Nunc ordinis ſeries requirit ut de ſeculo quinto ſupra decimum agamus. Hoc autem commode auroræ quæ noctem ſequitur & diem præcedit comparari poteſt. diſcuſſis quippe errorum & ſuperſtitionum tenebris lucem veritatis & veræ pietatis adeſſe & brevi revocandam præſagiebat. Quare nullum præ-

Seculum XV. Anno Christi.

cedentium tot tamque illuſtribus veritatis teſtibus adeo ſplenduit, ac quidem hocce quod nunc tractamus. Retardavit tamen diei ipſius adventum, & lucis futuræ ſplendorem obnubilavit Parricidium, turpe juxtà ac crudele ipſius Ducis Burgundi turpiter excuſatum à Theologis ſuper eo conſultis, qui ſequentes partes Petri de Lunâ Antipapæ, promotorem eundem hujus iniquitatis habuerunt, ſuper quo facto exclamat qui hæc in Annalibus ſuis Flandricis tradit Jacobus Myerus (*y*) ipſe Flander, *utinam à Theologis & Sacerdotali gravitate omnis abeſſet vanitas & aſſentatio!* Adverſus quem Petrum de Lunâ cum nomine univerſitatis Pariſienſis Johannes Cortehuſius, Normannus, ſuper illud Pſ. VII. *convertetur dolor ejus & ſuper verticem ejus deſcendit iniquitas ejus*. gravem & diſertam in magnâ Palatii Pariſienſis aulâ haberet concionem, inter cæteros principes viros auditorem & ſuffragatorem habuit Brabantiæ ducem. Hic autem deinde alii actui contra eundem Antipapam eodem in loco interfuit, verba faciente Dominicano quodam, ſuper illud Rom. XIV. *quæ ad pacem faciunt ſectemur & quæ ad mutuam ædificationem*, quæ accidêre anno hujus ſecu-

li-

(*y*) Citante I. Wolfio Cent. XV. pag. 739. cIↃ CCCC VI.

Pſ. VII. 17.

Rom. XIV. 19.

li octavo, (z) & in eum finem referuntur à nobis, ut ſciant lectores Belgam hunc Principem cum aliis de tollendo ſciſmate non ſolum cogitaſſe, ſed & manus medicas adhibuiſſe.

Seculum XV. Anno Chriſti. (z) P. Mornęus Myſt. Iniquitat ad Annum cIↄ cccc-VIII. Mat. XVI. 18.

Nunc de Petro de Alliaco dicamus, qui licet natione Picardus & Scholæ Pariſienſis aliquando Cancellarius, tamen quia Eccleſiæ Cameracenſis Archidiaconus primum, dein Epiſcopus fuit hoc loco memorandus. Nam præterquam quod à ſe inſtitutum Johannem Gerſonem, Academiæ etiam Pariſienſis poſt illum Cancellarium, præclarum veritatis teſtem, reliquerit diſcipulum non pænitendum, ipſe quoque veritati teſtimonium non unum perhibuit. Quorum 1. pono, quod in *Laudatione Theologiæ*, Dictum hoc, *ſuper hanc petram* trahat ad Chriſtum & ejus verbum. 2. quod in ſuis *concluſionibus* diſputet, Eccleſiam eſſe alligatam ad ſcripturam. 3. Papam non habere monarchiam temporalem. 4. Romanam Eccleſiam errare poſſe (a) Et in *Quæſtionibus* 5. Papam & Eccleſiam concilio ſubjectam eſſe: præ cæteris huc facit ipſius *de Reformatione Eccleſiæ tractatus*, quem juſſu Cæſaris Sigiſmundi conſcripſit & 1. die Novembris anno hujus ſeculi decimo

(a) Citante Illyrico in Catal. Teſtium veritatis lib. 19. Cap. Petrus de Aliaco & Mornæo in Myſt. Iniquit ad Annum cIↄcccc-XV.

Seculum XV. Anno Chriſti.

quinto obtulit Patribus in Concilio Conſtantienſi congregatis juſſu ejuſdem Sigiſmundi, ut medelam adferret laboranti Eccleſiæ Romanæ, partim ob interna diſſidia & diſſolutos cleri mores, partim ob externas Johannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis oppoſitiones, veritatiſque defenſionem. Liber autem hic à variis poſt mortem editus eſt, nominatim autem ab Edwardo Buklæo Theologo Anglo anno 1606, titulo *Speculum Eccleſiæ Pontificiæ*, quo præter hunc Nicolai Clemangis, Archidiaconi Bajocenſis, de corrupto Eccleſiæ ſtatu, aliorumque Theologorum de eadem materiâ tractatus continentur. ſummam libelli tradunt Illyricus (*b*) & Mornæus. (*c*) integrum autem eum lectionibus Memorabilibus & reconditis inſeruit Johannes Wolfius (*d*) hâc ei præfixâ admonitione. *Quiſquis es, Lector candidiſſime, qui hæc lecturus es, animum adverte & invenies, non conſultorem modo optimum, ſed & vatem hunc fuiſſe.* Quare ſub finem tractatus hæc addit verba. *Fuit hic Cardinalis* (Authorem Petrum de Alliaco deſignat, qui poſtquam ſede ſua pulſus eſſet & Romæ exul ageret à Johanne XXII. Renunciatus Cardinalis Tit. S. Chryſogoni & Legatus à latere per

(*b*) Lib. & cap. citt.
(*c*) Myſt. Iniquit. in Oppoſitione ad annum memorat.
(*d*) Cent. XV. Vol. I. pag. 756-764. ad eundem annum

per Gallias) *etiam vates & Aſtrologus, & eo anno quo celebratum eſt concilium, Baſileæ prædixit, Nullam futuram in Eccleſia pacem, ſed religionis exitium, diſſenſioneſque in ea deſignari ex jove in prima domo in anni figura retrocendente.* Hæc ille. Nos autem, quia tam multis memoratus liber Aliacenſis eſt traditus, ejus tantum nuda proponemus capita, Author vocat ea *Conſiderationes.* unde de ipſo tractatu facile erit judicare. I. inquit *Conſideratio eſt de Reformandis circa totum corpus Eccleſiæ.* II *de Reformandis circa ejus caput ſc. circa ſtatum Papæ, & Romanæ curiæ.* III. *de Reformatione Principalium Eccleſiæ partiũ, ſcilicet Prælatorum.* IV. *de Reformandis circa Religiones & Religioſos.* V. *de Reformandis circa cæteros Eccleſiaſticos* VI. *de Reformatione Laicorum Chriſtianorum.* Verum enim verò, hæc omnia in patrocinium veritatis ſcripta & dicta, non tam commendant authorem ac quidem infamat ejuſdem quod ſequitur factum; quo Conſtantiæ manibus propriis, tanquam carnifex crudelis Johannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem, inſignes illos & puros putos veritatis teſtes, erroris non convictos ſed condemnatos, contra datam ab Imperatore fidem, qua n hæ-

Seculum XV. Anno Chriſti.

Seculum XV. Anno Chriſti.

reticis non ſervandam judicabat Concilium, quo, inquam manibus propriis, horrendum dictu, illos combuſſit. (*e*). Sed & aliud in Cardinali hoc notandum venit. Nam Charibdin vitans in Scyllam incidit. Ita quippe tranſſubſtantiationis dogma & monſtrum rejecit, ut Conſubſtantiationis Dianam ejus loco (*f*) in duxerit. atque ita hujus ſententiæ parens extitit. Præluxerunt quidem ei inter priſcos illi, qui Algero, tranſſubſtantiationis ſummo patrono, *impanatores* audiunt; & refutati à Petro Lombardo lib. IV. Sentent. & Guitmundo, Archiepiſcopo Averſano, lib. III. de Sacramento Altaris. Quin & Algerus ipſe, de quo nos ſupra, diſputat adverſus eoſdem lib. I. Cap. autem 6. hoc præfixit lemma, *Quod Chriſtus in pane Sacramentali non ita perſonaliter ſit impanatus, ut in carne incarnatus* Hi inquam, impanatores Aliacenſi præluxerunt quidem, ſed quod illi conceperunt, geſtarunt, ipſe in lucem protraxit, aluit, fovit atque magnus ille Lutherus hoc cæco doctore ductus in foveam cecidit: in quâ ſi non ſe volutaſſet, vix eſſet quod Reformati in eo deſiderarent. hoc ipſo quo

(*e*) Epiſtola Miniſtrorum Belgii ad Authores libri Concordiæ ſeu Bergenſis ſcripta 1529. in 4. pag. 26.

(*f*) *Hiſtoriſcher warhafftiger bericht und lehre Gettliches wortts von den gantzen ſtreit und handel des H. abendmals durbh die Prediger zu Embden* Cap. 2. Pag. 20. Edit Germanicæ, Interp. Chriſt. Fezelio in 12. 1595.

quo concilium Conſtantienſe celebratum eſt & ſequenti anno floruit quidam Johannes Barath. Patriâ Hannonienſis. Doctor Theologus Pariſienſis & Cænobii Valencennenſis Carmelita, ſcriptis clarus. quorum ſequentia enumerat Ioh. Wolfius, & ex iis inſtituto noſtro inſervientia obſervat. (*g*) *ſcripſit*, inquit ille *de Revelatione divinorum, de Vtilitate Scripturæ, de temporis ſui malis, & Poſtillam in Apocalypſin Iohannis, cũ aliis. Multa pius homo ejus ætatis Clero, prælatis & monachis objiciebat: & quod ſtatim eſſent, ob peſſima eorum facta, in opprobrium, ſub ſannationem, ac deriſum gentibus dandi, ex ſcripturis prædixit: quoniam Deus (inquiens) ſpernit eos qui hominibus placent.* Hæc Wolfius de Baratho.

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*g*) Lib. & Vol. citt. pag. 803. ad Annum cIↃccccxxvI.

Nunc ad alia, nec minoris momenti: Belgarum Principes licet olim bella inter ſe gravia gererent conveniebant tamen in eo, ne ſubditi infeſtarentur à juriſdictione, faſtu, divitiis, aliiſque exceſſibus Eccleſiaſticorum: quam curam in medio bellorum æſtu non deponebant, & quiſque in ditione ſuâ rei incumbebat, ſive imperium capeſſentes, ſive adminiſtrantes quod non uno exemplo demonſtratum nunc imus, annorum ſerie vix turbatâ.

Seculum XV. Anno Chriſti.

Habebat quidem Colonienſis Archiepiſcopus, in urbe atque imperio Neomagenſi, Trajectenſis verò in reliquis Neomagenſis Tetrarchię partibus, atque integra Arnhemienſi Tetrarchiâ, Leodienſis autem, in Tetrarchiâ Rurmondenſi, Monaſterienſis denique in Zutphanico comitatu, jus & poteſtatem: ſed reſtrictam ad matrimonia, legata ad pias cauſas, beneficia Eccleſiaſtica denique jura Præbendarum & Sacerdotiorum: In reliquis cauſis Romani Pontificis atque Epiſcoporum Imperia comminationes ac fulmina ſemper inſuper habita fuere. Cum autem intra limites non continerent ſeſe Eccleſiaſtici confeſtim iis obviam ivere Gelrorũ Duces. Hinc inter cæteros Arnoldus dux in diplomate dato anno hujus ſeculi trigeſimo ſecundo ſic ait obligans ſe ad obviandum iis, *Wy beloven alle bannen ende ladinge uyt onſen lande te keeren gelijck onſe Voorvaders dat oock gedaen ende uytgekeert hebbẽ*, id eſt interprete Johanne Latio (*h*) viro Clariſſimo, ex quo hæc habemus, *Promittimus, nos banna omnia omneſque evocationes è noſtris dominiis prohibituros, quemadmodum majores noſtri fecerunt.*

cIɔcccc-xxxii.

(*h*) In deſcriptione Belgicæ fœderatæ Provinciæ Gelricæ Cap. 9 pag. 33. edit Anno 1630. Cɪɔcccc.

Cæterum operæ pretium nos facturo exi-

existimamus, ſi hic addamus, quæ ex historiâ & antiquitate rerum Gelricarum, ad hanc materiam ſpectantia obſervat Lambertus Goris (*i*) Juriſconſultus & Syndicus Neomagienſis. Sic autem ille, *Sed & noſtri quoque Principes ſuperioribus ſeculis, Dum animadverterent non ſine ingenti Reip. detrimento ampliſſima à monaſteriis paſſim acquiri latifundia, eandem hanc rem ad curam ſuam pertinere rati ſunt. Nunc enim Arnoldus ſub annum Chriſti* 1441. *nunc Adolphus, ſub annum* 1469. *nunc denique Carolus ſub annum* 1532. *Gelriæ Duces, ſibi invicem ordine ſuccedentes, publicis edictis caverunt, ne cuiquam religionem profeſſo, vel ipſi monaſterio licitum eſſet in poſterum acquirere hæredia, decimas, reditus, cenſus, & id genus alia bona, quocunque titulo: ſeu ſingulari, veluti emptione, donatione, legatis; ſeu univerſali, veluti ſucceſſione, vel ex teſtamento vel ab inteſtato* 15. *Quibus ſimile quid, approbante Principe convenit dicto anno* 1532 *inter ordines Tetrarchiæ Noviomagenſis, Zutphanienſis & Velavicæ, habitis ſeparatis in ſingulis hiſce Tetrarchiis Comitiis, nec non binis decretis ſenatus urbis Noviomagi: quorum alterum eſt anni* 1454, *alterum* 1536, *& cum pluribus aliis tum conſtitutionibus, tum reſcriptis*

Seculum XV. Anno Christi.

(*i*) Adverſariorum juris ſubciſivorum Tract. 3. Cap. 8. §. 14. in 4.

Seculum XV. Anno Chriſti.

ſcriptis PrincipumOrdinumqueGelriæ: quibus ſingulis enumerandis ſuperſedeo, cum ex uno omnium ſcopum ac finem intelligere haud difficile ſit: addendo tamen Reform. Zutphan. Tit. 18. §. 1. Ruremund. Parte 2. Tit. 6. §. 9. 16. *Et ne fruſta hæc ita conſtituta forent, ad extremum ſanctio addita eſt, quâ quæ contra geruntur, irrita omnino declarantur, vel etiam ipſo jure fiſco Principis acquiruntur, quæcunque contra prohibitionem in monaſteria tranſlata fuerint.* 17. *Quamobrem autem, tum Principes, tum Reſpublicæ tantopere ſua intereſſe putaverint huic rei tam ſollicite intercedere, alii quidem ſex, alii quatuor adducunt rationes, de quibus Pet. Grego. Tholos. Syntagm. jur. lib. 41. Cap. 2. Num.* 8. Bacquet Traicté du Droict dés Nouveaux acqueſts Chap. 25 *quibus non ſine fructu addetur Bodin. dict. Cap. 2. lib. 5. de Repub.* 18. *Cæterum his omnibus inter ſe collatis, tum iis quæ à noſtris principibus, hinc inde olim conſtituta ſupra adducuntur, recte ac diligenter perpenſis, unica illa & præcipua exſurgit ratio prohibitionis: ne videlicet ſubditorum bona ad monaſterium devoluta in id redigantur, ut magno reip. damno nullum Principi commodum aut ſervitium præſtare queant, Id quod totidem pene verbis tradit Feber in Cod. dict. defin 44. cui acce-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

accedit quod ipſa monaſteria lautiſſimas ſibi poſſident hæreditates, omnium fere impoſitionum immunes ac porro non ſine certiſſimo ſtatus publici periculo in reliquos ſubditos cujuſcunque generis transferrent. Bodin. loc. ſupra citat. Hactenus Lambertus Goris. Seculum XV. Anno Christi.

Nunc aliis exemplis Hollandiæ comitum, quod propoſitum eſt evincamus. Trajectina Eccleſia quantò cæteris Belgicis antiquior tantò & ſuperior habita eſt. Quare & qui ei præerat Epiſcopus, etiam ſpiritualem exercuit juriſdictionem, per Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, aliaſque vicinas regiones. Juri huic ſpirituali dicundo exercendoque ab Epiſcopo erant conſtituti, Proviſores, Decani, & ſimilis farinæ poteſtatiſque homines, quorum nomina & munia ut ab initio Eccleſiæ ignota, ita & apocrypha ſunt, adeoque ἄγραφα non ſolum, ſed & ἀντίγραφα, ut Theologi loquuntur. Illi autem qui hoc tempore conſtituti erant, præ cæteris prædeceſſoribus ſuâ abutebantur poteſtate. Faceſſebant enim Hollandis, zelandis & Friſiis non parvum negotium, bonis eorum inhiantes. Quare cum iniquiſſimè ſe erga eos gererent, rem ad Dominum ſuum deferebant, auxilium contra eos

poſce-

Seculum XV. Anno Chriſti.

poſcebant hi ſic vexati Belgæ. Præerat tum his Philippus Burgundus, bonus cognominatus: quod nomen his aliiſque egregiis factis conſequutus eſt. Audivit ille quærimoniam ſubditorum, ſimulque de cauſis ejus tollendis ſeriò cogitavit. Quare Epiſcopum Trajectenſem, Rodolphum de Diephout, convẽnit, eique ſuorum quærelas propoſuit. Conveniunt inter ſe contrahuntque, non quidem abolentes jus illud, ut quidem factum oportebat, & poſtea etiam factum eſt, ſed limitantes reſtringenteſque potentiam Proviſorum. Certus ergo conſtitutus ordo, quem ſequi neque excedere impoſterum, debebant. Sic Epiſcopus ille coercuit vim & rapacitatem ſuorum. Sed in Belgis hiſce videre licet non adeo obcæcatos fuiſſe, ut tyrannidem illam ferrent, ſine quærimoniâ & ut decenti ita fructuoſâ oppoſitione. Philippus autem Burgundus ille hoc modo oſtendit ſe vino ſcortationis Babylonicæ non adeo inebriatum ejuſque veneno infectum fuiſſe, ac quidem Philippus Auſtriacus Rex Hiſpaniarum ejus nominis II, Philippi Burgundi in imperio, non virtute hæres & ſucceſſor, Non obſtantibus, enim, precibus, quærelis ſuorum, identidem & obnixè repetitis,

petitis, hæc & pejora non modò non correxit mala, ſed & graviora, etiam contra privilegia, ſubditis ſuis impoſuit: obtruſit: obtentu quidem fidei conſervandæ & promovendæ, ſed reverâ animo dominandi ut corporibus ita & conſcientiis ſuorum, adeoque infelici nec votis reſpondente ſucceſſu. Cæterum quia in Belgio, à Belgis, & in Belgarum commodum contractus iſte initus, etiam Belgicè conſcriptus eſt. Ne autem eo vertendo aut contrahendo occupemur, viſum eſt integrum eundem deſcribere & infra inter documenta recenſere. excerpſimus illum ex MS libro quo Delphenſium Privilegia, continentur (*k*) vide ergo infra Lit. D. accidêre autem hæc anno hujus ſeculi trigeſimo quarto.

Seculum XV. Anno Christi.

Nunc aliud addamus Laborabat Hollandia Zelandiaque, ut copiâ Eccleſiaſticorum ordinumque religioſorum, ita & ædium quas iidem inhabitabant. Vocant eas Monaſteria; & quia illis clauduntur Monachi Monialeſque etiam Clauſtra appellari jure poſſunt: unde procul dubio Belgicum noſtrum vocabulum *Clooſter*. Malum autem hoc facile ferri potuiſſet, ſi animum ad ſtudia, virtutes, docendumque populum, & ſeriò & dun-

(*k*) *Privilegien der Stede van Delf MS*, in Bibliotheca Boxhorniâna Lit. D.

cIↄcccc-xxxIV.

Seculum XV. Anno Chriſti.

duntaxat applicuiſſent. Sed auri ſacra fames alio inquam malũ vix tolerandũ eos traxit. Quare mechanicis operam dabant, & opificia exercebant. Quod quidem primâ fronte cum laudabile videatur, & ad priorum monachorum (qui operibus manuum vitam ſuſtentabant) exemplum factum, quò jure culpandum ſit non apparet. Sed advertendum eſt, veteres cum non haberent unde vitam ſuſtentarent, neceſſariò debuiſſe manuariam exercere, modernos hoſce præterquam quod abunde ſuppeteret illis unde lautè vivere poſſent, non ut veteres, & decet, Chriſtuſque ſuo exemplo probavit, immunes fuiſſe & etiamnum eſſe à vectigalibus & tributis, quæ ad ferendos ſumptus publicos ex doctrinâ Pauli pendi debent, adeoque eos tam emptione eorum, quæ ad artem manuariam neceſſaria erant nocuiſſe, proventui ærarii publici, quam venditione operum à ſe manufactorum (viliori enim prætio empta à ſe viliori etiam à ſe facta vendere poterant quam opificum vulgus) depauperaſſe opifices ut ita dicam laicos, & ſeculares. Quare modò nominatus moxque iterum nominandus Philippus bonus in hæc inquiſivit, & ſpeciali edicto cavit, ne impoſte-

Mat. XVII.

Rom. XIII. 6. 7.

poſterum numerus monaſteriorum adeo in Hollandiâ zelandiaque excreſceret,&,poſtquam de eorum copiâ queſtus eſſet, prohibuit artem manuariam, ad hæc ſucceſſiones emptioneſque bonorum Eccleſiaſticis ademit,quæ latius videri poſſunt ex diplomate ipſo, quod promulgatum 29. Octob. anno quadrageſimo quinto ſeculi decimi quinti & infra Lit. E. integrum à nobis eſt ſubjectum, deſumptum ex eodem M S. cui ſubjunximus ex Inſtructionibus civitatis Harlemenſis (*e*) item MS. ejuſdem commatis cautiones. Cæterum hoc contra artem manuariam Monachorum Edictum eorum vulgo gratiſſimum fuit. Nam cum illi juſſi à præfectis in commune monaſterii commodum laborem perferre & durum &continuum, quàm pigerrimè operati ſunt. unde in eorum contumeliam natum Belgarum proverbium, pigrum hominem deſignans. *Hy ſlacht de Munnicken, hy eet dat hy ſweet, en hy werckt dat hy kouw krycht* quaſi dicas, *Monachorum inſtar, comedens ſudat, operans verò frigeſcit* nec pigrum ſolum denotat, ſed & ingluvioſum.

Seculum XV. Anno Chriſti. cIↃcccc-XLV. Lit. E.

(*e*) *Inſtructien der Stede van Haerlem gegeven by Philips wieland en Jan Rouſſeau uyt laſt des Hertochs MS.* in Fol. in Bibliothecà eadem Boxhorniana cIↃcccc-XLVI.

Rurſus ut diximus cum honore nominandus venit Philippus Bonus. etenim

nim anno, poſt hæc tertio qui eſt ſeculi quadrageſimus ſeptimus, 3. Januarii ſtatuit, (*m*) ſubditiſque ſuis in Brabantiâ cujus etiam Dux erat ſub pænâ Confiſcationis bonorum & corporali, vetuit, quenquam ſuorum coram tribunali judicum ſpiritualium in jus vocare aut citare, niſi prius coram civili & competenti judice conveniſſent, judicatumque ab illis eſſet, litem illam ad ſpirituales pertinere quod fecit, non inhians ſuorum bonis, ſed impediens Spiritualis fori & Tyrannidis incrementum. Tum temporis autem ſicut & ab initio Eccleſiaſticis in Brabantos non aliis jus erat, niſi EpiſcopisCameracenſi & Leodicenſi: qui diviſum hic habebant imperium & limitatum ad tria ſequentia, puta 1. ſoliditatem teſtamentorum. 2. tabulas matrimoniales, 3. jura emortui mancipii (*n*) ſeu ut Barbari ea vocant, bona emortizata (*o*) Cæterum quod in prædictum finem Philippus hoc decreverit docent id nos etiam Deputati quatuor Metro-

Seculum XV. Anno Christi.

(*m*) I. *Weſembeek* lib. cit. pag. 6. edit. Anno 1616 in 4.

(*n*) Patet Art. 3. Addit. 2. Læti Introitus, cit. I. Weſemb. lib. & pag. cit.

(*o*) C. Kilianus in V. *Doode hand* ſic ea deſcribit, *vulgo dicitur de iis qui nunquam habere hæredem deſinunt ut Collegia, cœnobia, civitates &c. quæ quaſi immortales ſunt.* Hinc illud Taciti *Principes mortales, reſpublica æterna.* Cæterum *Amortiſatio* eſt definiente L. Goais lib. tract. & Cap. citt. 9. 11. *qua Princeps permittit religioſis teſtamento facta adire bona, quæ illis, ſine hac permiſsione & diſpenſatione adire non licet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Christi.

Metropolium Brabantiæ in libello ſupplici ejus ſenatui oblato ut ſupra ad annum 1306. paucis diximus, & infra ſuo loco plenius exequemur, deo faciente. Ita autem loquuntur ſuâ linguâ. *Alles om te verhoeden, dat de goede onderſaten by de Geeſtelycke juriſdictie niet en ſouden werden belaſt ende gemoleſteert, contrarie heur rechten ende privilegien ende dat de Overheyt ende authoriteyt van Princen oock niet en ſoude werden vermindert:* id eſt, *ut Caverent ne fideles ſubditi juriſdictione & imperio ſpirituali gravarentur iiſque moleſtia crearetur, idque contra ipſorum jura & Privilegia: item ne majeſtas authoritasve Principum læderetur aut minueretur.* Hæc illi de Philippo cui res hæc adeo cordi fuit, ut non contentus in hæc Brabantorum privilegia in ſuo introitu, ad exemplum prædeceſſorum ſuorum, juraſſe (quod & fecerunt ejus ſucceſſores, atque adeo Philippus II. meritò perjurus habetur) & jam memorata ſtatuiſſe, ſed & binis diſtinctis litteris poſtmodum ſuis promiſit, ſe curam iſtorum Privilegiorum habiturum, eaque inviolata conſervaturum, adeoque nullo modo unquam permiſſurum ut vexarentur ab Eccleſiaſticis, qui regni ſui pomæria ultrà quàm par

erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

erat exporrigere ſatagebant. datæ ſunt hæ litteræ & priores quidem 20. Octob. Anni cIↃ CCCC LI. poſteriores verò 27. Novemb. cIↃCCCCLVII. (*p*)

Nunc aliud ſubjungamus. Circa annum Domini 1229. Franciſcus quidam Aſſiſias, in Umbriâ Italiæ regione ortus, novæ cujuſdam ſectæ author extitit, cujus ſequaces Franciſcani non ſolum, ſed & humilitatem præ ſe ferentes Minores appellantur. faciunt illi non votum Paupertatis ſed mendicitatis, quare & *Fratres mendicantes* uocantur, adeoq; aliam omnino vivunt vitam, quam illi contra quos Philippum ſpeciali decreto ſtatuiſſe ſupra audivimus, eo quod, non otioſam, ſed laborioſam viverent vitam. *Nullum unquam*, inquit Polydorus Virgilius (*q*) *humanæ pietatis inſtitutum magis brevi tempore crevit : totum enim terrarum orbem una hæc implevit Familia, ſic ut vulgus jam tum ſtupefactum, non tam pietatem quam otium & ignaviam interdum multis cordi eſſe, ſuſpicaretur.* Belgæ autem ut ab Italiâ remotiſſimi inter poſtremos fuere, qui hos reciperent mendicos Franciſcanos, & ideo non Paulinos: qui Eccleſiæ oneri eſſe noluit, cum ſummo jure ab illis etiam petere poſſet ad vitam ſuſtentandam neceſſa-

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*p*) Hæc ex eodem & ſæpius memorato libello ſupplici apud I. Weſembeek, lib. cit.

(*q*) De inventoribus Verum lib. 7. Cap. 4.

5. Cor. XI. 8, 9. VII. 13. I. Theſ. II. 9.

ceſſaria. Sed an ambabus quod ajunt, ulnis amplexi ſunt hos mendicantes fratres? Nihil minus. Emendicare oportuit illos non victum ſolum, ſed & ædes neque admitti potuere niſi ſub certis conditionibus, dignis quæ hic referantur. Exemplum eſto quod Magiſtratus Delfenſis Batavus iiscum egit, anno hujus ſeculi undequinquageſimo, quo demum illuc venere, & admiſſi ſunt, poſtquam promiſiſſent inter cætera 1. *ſe ſemel tantum per plateas in ſeptimana panem mendicaturos.* 2. *Ubi, deliquerint coram politico tribunali reos ſe futuros & ſine exceptione comparituros,* 3. *neque à Papa impetraturos privilegium aut diſpenſationem his contrariam* 4. *ſecus ſi faxerint privandos ædibus, quas gratis inhabitare ſe fatentur urbeque ejiciendos eſſe.* Quæ omnia latius ex ſpeciali Epiſtolâ patenti, ut vocant, quam eorum vicarius Provincialis (ut & mendici ſuos imperatores habent & principes viros) Ægidius Fluweel ſecuritatis ergo Magiſtratui Delfenſi exhibuit. deſcripta illa eſt ex codice memorato Delfenſium Privilegiorum. & infra Lit. E. ſubjecta. Cæterum Quod ædes gratuitò inhabitare profiteantur in eo convenienter profeſſioni & mendicitatis (non faciendo

Seculum XV. Anno Chriſti. cIↄcccc-XLIX.

Lit. E.

Seculum XV. Anno Chriſti.

ciendo tamen) voto loquuntur & faciunt, idque ex declaratione Johannis XXII. Can. *Ad Conditorem. de verſ. ſig. in Extrav.* 10 Sed cujus rationem non habuerunt Concilii Tridentini Patres, quando Seſſ. ult. Decret. 3. permiſerunt omnibus monaſteriis, nominatim ordinis Mendicantium, exceptis ſolummodo Capucinis & Minoritis, quales hi Delfenſes erant, proprietatem immobilium bonorum, qualia ſunt præter domicilia etiam agri aliaque quod quomodo conveniat perfectioni, quam in Paupertate ſed fruſtra conſtituunt religioſi, non video. Porro nota, Quod licet hi Mendicantes quemadmodum & alii religionem profeſſi ex eorum obedientiæ altero voto, ut Papæ addictos, ita nec ab alio judicandos, non prius admiſſos tamen à Delfenſibus, niſi periculoſo illo proœmio abjurato. E re enim ſuâ eſſe ſatis intellexerunt Delfenſes, ut omnes ſub ſe habitantes reverâ ſubſint, & poteſtatibus ſupremis nemo ſuperior ſit, nemo item æqualis. Nunc ſatis exemplorum impræſens, quibus & poteſtas Eccleſiaſticorum, eorundem incrementum tam quoad numerum quam quoad poſſeſſiones item exceptiones ab obedientiâ magiſtratus civilis, refiænata, cor-

correcta & impedita fuit, à Belgarum populo & magiſtratu. Seculum XV.

Sequitur annus ſeculi hujus medius, qui erat ſalutis reparatæ quinquageſim. ſupra milleſimum quadringenteſimum Hoc ipſo ex more apud Judæos celebrato, à Chriſto autem ſublato, ſed à Pontificibus (quibus Judæorum ſuperſtitioſæ & abrogatæ, Gentilium item ſtolidæ & diabolicæ Ceremoniæ, Chriſtianorum ſimplici & præcepto cultui partim junguntur, partim præferuntur) rurſus in uſum recepto, Iubileum celebrabat Papa Nicolaus, V. Quo omnibus Romam peregre venientibus peccatorum remiſſio, & indulgentiæ plenariæ promittebantur. Hæ autem in ſummâ tum æſtimiâ, & majori loco nunquã forte habitę erant. Ergo ut undique terrarum ita & è Belgio noſtro creduli homines Romam magno numero catervatim ſeſe conferebant, Hos inter erant non pauci religioſi. Qui etſi iis non niſi à Præfecto, veniâ impetratâ monaſterio exire multò minus peregrinari liceret, nòn rogatâ tamen ea aut expectatâ, clauſtris, ſuis egreſſi indulgentiarum obtinendarum causâ Romam tendebant. Tantũ autem abeſt, ut illis id ſit permiſſum, ut potius ſit prohibitum. Sed mandato inobe-

Anno Christi. cIↃccccL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Christi.

dientes, exibant quo credulitas eos trahebat. Refert hæc nobis Fredericus ab Heylo (ſic vocatus à Pago in quo natus, qui Alcmariam & Egmundam inter ſitus eſt) profeſſione Theologus, munere Preſbyter & Donatus ut vocant, Fratrum Regularium prope Harlemum: ſed & confeſſor ſororum Warmundis primum dein Leydis, tandem Beverovici. Hujus mentionem facimus, quia in eo deprehendimus non pauca digna animadverſione & inſervientia noſtro inſtituto. Multa ſcripſit Fredericus, quæ inedita hactenus, & quorum magna pars MS. aſſervatur in Clariſſimi Boxhornii inſtructiſſimâ Bibliotheca; qui nobis horum ut & aliorum uſum lubens conceſſit. Inter cæteros tractatus legere eſt quem *de Fundatione Domus Regularium prope Haerlem* ut ipſe eum indigetat conſcripſit. quo modo memorata ubi narravit, illa ſibi minimè placuiſſe evidenter oſtendit: inter cætera enim dicit, *Quaſi Romæ tum Deus eſſet & non etiam in aliis fidelium locis. Qui non propter locum hominibus adeſt, & peccata remittit, ſed locis propter homines parcit & indulget.* Quæ aurea verba ſunt, & peregrinationibus religionis ergò è diametro oppoſita: quas ipſas ſibi minimè probari jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

jam ante his docuerat verbis, *Et utique piis animis omnis affectio peregrinandi attenuanda eſt; quod diſcurſus talis non modo inconſulti animi argumentum eſt, ſed etiam leuitatis eſt nutrimentum. Boni & pii viri eſt, apud ſe conſiſtere, ſeſe à diſperſione colligere, non locorum mutationem effundere*, & quæ porrò in eam rem ibidem conſequuntur. Et ut certus ſis Fredericum in hoc articulo nihil minus quam Pontificium fuiſſe, ultrà jam memorata evincit vel ſolus ab ipſo conſcriptus *tractatus* de peregrinantibus ſeu ut ipſe id explicat *contra peregrinantes*. cujus ſumma hæc eſt: *Non Peregrinationes precandi cauſa ad hæc vel illa loca inſtitutas, ſed vitam Chriſtianam, procurare nobis indulgentias. Ad quas conſequendas nos de nobiſmet ipſis plus conferre poſſumus, quam Papa. cujus indulgentiæ, quia ſunt bonum alterius, non noſtrum, tam avide expeti non debent, ac quidem virtus & cæteræ animi dotes. Peregrinationes modernas multum diverſas eſſe ab illis, quæ in primitiva Eccleſia in uſu erant. Sanctis in anguſtia vota nuncupare, ignarorum eſſe hominum, & Gentilibus ſuum debere ortum. Quorum moris erat hos illoſve in anxietate invocare. Eſt autem Chriſtianorũ ſolum Deum in diebus malis invocare &*

Seculum XV. Anno Chriſti.

Seculum XV. Anno Chriſti. Lit. G.

(r) Lib. de fundatione Domus Regulariũ prope Haerlem ſupra cit. cIↄcccc-LI.

adorare. Quæ omnia & plura huc ſpectantia infra propriis Authoris verbis legere potes Lit. G iis ex ipſo tractatu excerptis. Atque ita abundè conſtat & hunc Fredericũ ab Heylo inter Eccleſię Romanæ laudandos contradictores numerandum, & veritatis teſtem eſſe. Quod vel etiam patet ex fideli relatione (*r*) & laudatione eorum, quæ Nicolaus de cuſa in hoc negotio apud Batav. ſuos & dixit & fecit anno medii hujus ſeculi primo. Erat hic Nicolaus, Cusâ ad Moſellam oriundus adeoque Germanus, vir apprimè doctus Eccleſiæ Romanæ Cardinalis tit. S. Petri ad vincula. Miſſus à Papa Nicolao V. in Germaniam utramque ſumma cum poteſtate legatus non ſolum ut indulgentias concederet quibus Romam adire non contigerat, ſed etiam reformaret, quę inter Ecclſiaſticos reformãda deprehenderet, ut ſane quamplurima erant, tam quoad fidem, quam quoad mores. Par muneri iſti graviſſimo exequendo, ferendoque oneri humeris impoſito. Patiens quippe laborum, induſtrius, ſobrius, comis juxtà ac gravis erat. Quæ alibi in hac legatione geſſit aliis memorata, nos quæ nota minus ex frederico referemus. Quia autem poteſtatem concedendi indulgentias

Seculum XV. Anno Chriſti.

tias habebat, concurrebant undique ad ipſum Eccleſiaſtici & ſeculares. *His*, inquit fridericus, *prudenter eas concedebat, illis non niſi gravate*: dicens, *Miror quod vos religioſi ita me pro indulgentiis fatigatis. Cum cor contritum & humiliatum indulgentiam habeat omnium peccaminum. Cultus enim mentis & ſtudium virtutis certiſſimas & veriſſimas indulgentias promeretur.* Porro cum deprehenderet fratres Regulares Harlemenſes, in adornandis augendiſque monaſteriis ſui ordinis intentos magis eſſe, quam pietati addictos, monebat eoſdem, ut deſiſterent ab hoc malo. *Eo quod*, inquiebat, *multitudinis difficile regimen, & aliquibus inter multos facile corruptio innaſcitur: ex quo, etiam cæteri infirmantur quia contagio unius paſſim ad alios repit.* Cæterum haud quaquam prætereundum, quod Harlemi publice ſermonem *contra diſcurſus peregrinantium in Wilſenack* Erat oppidum Prigniſſæ, Wandalico in ſolo, quo Anno 1383. incendio vaſtato, Sacerdos quidam perluſtratis Ruderibus & cinere reperit, ut fingebat, juxta altare tres hoſtias ſanguine conſperſas, quarum virtute poſt multa fiebant ſtupenda miracula ſed poſtmodum fraus deprehenſa eſt, poſtquam

 integrum

Seculum XV. Ano Chriſti.

integrum ferme ſeculum populum dementaſſent. Hæc ex Matthæo Ludeco, aliiſq; refert I. Wolfius lib.cit.cent. 14. ad Annum memoratum, pag. 689. *&* *alia loca* in quibus idolũ anxie colebatur de quo multa falſa paſſim jactabantur vulgo&credebantur. *Imagines ſanctorum* inquit fredericus *venerandas ajebat in quantum ipſorum memoriã faciunt, & virtutem ſanctæ converſionis eorũ repræſentant.* Similiadixit fecitqueLeydis,aliiſq; Hollandięin locis. Quæ omnia aliaq;decreto ſanxit non uno,quorũ quędam ex ſępius memorato frederico ſequntur *Etiam ſtatuimus & ordinamus quod viſitationes fiant, prout de jure præcipitur. Et, ſi ordinarii in viſitationibus ſuarum Diœceſium Vel alias reperiant concurſum populi ad reliquas imagines fieri, cognoverintque informatione ſummarie recepta populum amplius ad diſpenſationem ſive reverentiam figuræ taliſmodi imaginis, quam ſalvâ fide expediat, inclinari, quod tunc imaginem tollant, & alias omnino provideant, ne idololatria* (arrigite aures quotquot eſtis Papiſtæ) *committatur.* Similiter, *ſi hoſtia tranſformatur in cruentam carnem, ſeu in ſanguinem apparentem, occultetur penitus & omnino, juxta traditionem juris, nec populo quomodo libet*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Christi.

libet publicetur, nec oſtendatur, ne ſeducatur: & quæſtuarius occurſus populo prohibeatur. Item *Ipſi enim talem rubedinem Chriſti cruorem nominant & ſic ſe credere & adorare aſſerunt. Et quia Sacerdotes, qui ob pecuniarium quæſtum iſta non ſolum fieri permittunt, ſed etiam ut credatur & adoretur, per aſſertorum miraculorum publicationem populum alliciunt & ſollicitant: Nos, qui rem tam pernicioſam & noſtræ fidei contrariam ſine Dei maxima offenſa ſub ſilentio pertranſire non poſſumus, cum corpus Chriſti glorificatum ſanguinem glorificatum in venis glorificatis habere Catholica fides nos inſtruat, ad tollendum omnem errorem, per quem ſimplex vulgus taliter ſeducitur, præſentium tenore, auctoritate qua fungimur ſtatuimus & ordinamus, quod ubi tales hoſtiæ reperiuntur, poſtquam ad notitiam Sacerdotum, qui in illis locis præfuerunt, hæc noſtra Ordinatio perducta fuerit, ab ulteriore publicatione tranſformatarum hoſtiarum penitus ceſſent, & nequaquam amplius miracula talia publicent, quæ populum ſeducere poſſunt: aut ſigna plumbea ad inſtar tranſformatarum hoſtiarum fieri permittant: ſed Sacerdotes tales hoſtias finita concione ſumant,* &c. *Et pariformiter quoque diſtricte mandavit*, inquit frede-

Seculum XII. Anno Chriſti.

ricus *imagines & picturas ad quas vulgus recurrens verbo aut ſigno ſalutem quærit, ab oculis vulgi removere.* Hactenus fredericus de Cuſano. Eo lubentius autem hæc ab ipſo, in Belgio contra Idololatriam dicta & facta retulimus quia aliquo modo ille ad Belgas pertinet. Nam Daventriæ ſtudiorum ſuorum fundamenta in juventute jeciſſe, & poſtmodum in ſenectute ſeminarium perpetuum, quod *Burſam Cuſanam* vocant, in quâ viginti ſtudioſi ſuis ſumptibus educarentur, erexiſſe nuper didici, (*s*) ex Hiſtoriæ patriæ diligentiſſimo ſcriptore J. Revio. quare & alia ad Cuſani orthodoxiam ſpectantia hic ſubjungere libet, præteritis tamen iis quæ in vulgus nota ſunt qualia præ cæteris ſunt ea quæ ejuſdem lib. 3 *de Concordantiâ Catholicâ* contra Primatum Papæ excerpſit & Hiſtoriæ Papatus inſeruit illuſtris, tam doctrinâ quam genere, P. Mornæus. nec ille ſolum, ſed & F. Illyricus aliaque ſuo loco recenſuit, nominatim ex libro Germanico, nomine *Hercules Papæ*, quo multa egregia contra Eccleſiæ Romanæ abuſus dicta & facta recenſentur, tum cum legatione Germanicâ fungeretur. In uno Germanico libro tamen reticetur quod ex Crantzo annotat Wolfius (*t*) Cuſa-

(*s*) Hiſt. Daventrienſis illuſtratę lib. 2. ad Annum 1469.

(*t*) I. Wolfius lib. & cent. citt. ad Annum 1464. ex A. Crantzii vandalia. lib. 11. Cap. 39.

Cuſanum *in Germaniâ inter* ſalutaria multa, etiam conſtituiſſe: *Ne venerabilis Euchariſtia in publicum deferretur: quia ejus uſus à cæleſti magiſtro inſtitutus eſſet ad eſum, non ad oſtentationem.* quæ evertunt Doctrinam Pontificiam, nec cum hodiernâ praxi conveniunt. quare novitatis non ſolum accuſamus eos, ſed & inobedientiæ ergo Apoſtolicæ ſedis Legatum. Nunc pauca de Frederico ſubjungamus. Denatus eſt ille quinto Idus Octob. anno quarto à celebrato jubilæo ſepultus autem Beverovicano in monaſterio. Tumulo Epitaphium inſcriptum quo vita & mores ejus deſcribuntur. præmiſſum eſt Chronoſtichon, præter annum mortis deſignans & morientis Deum, non ſanctos, invocantis verba. Eſt autem tale.

Seculum XV. Anno Chriſti.

cIↃCCCC-LV.

CondItor alte, MIChI da LætI proſpera CæLI.

Non obſtante edicto, quod ſupra ad Annum hujus ſeculi trigeſimum quartum recenſuimus. Eccleſiaſtici pergebant tamen agros & poſſeſſiones ſuas augere; adeo ut urbes pleræque ob eorundem copiam & immunitatem, ferendis vectigalibus ſuis haud eſſent pares, quare & nonnullæ ea etiam ab Eccleſiaſticis & monaſteriis exigebant no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

minatim autem & præ cæteris Harlemenſes, cui mandato non obedientes Eccleſiaſtici turbâ non parvâ excitatâ quæ haud feliciter ceſſit iis qui non ſine ratione hæc ab Eccleſiaſticis exigebant: Etenim Nicolaus ab Yperen, Conſul Harlemenſis, Gerardus à Noortwyck, Scabinus, & Wilhelmus Paetſius, Secretarius, hac de Cauſâ à notho quodam Walravii Brederodii filio prope Trajectum trucidati ſunt. *(u)*

(u) *Chronyck van Holland, Zeeland en Weſt-vrieſland in 8. ſpt jaer* cIↄ ccccLVII.

Circa hæc tempora floruit Jacobus de Gruitrode Prior Cartuſiæ Leodicenſis, *vitâ & converſatione devotus* ut apud V. Andream ex Trithemio legitur. ſcripſit, tractatus varios quos omnes ex memorato Trithemiò & Bibliothecâ Tigurinâ recenſet idem V. Andreas. Ex eorundem nonnullis orthodoxias documenta huc facientia recenſet Wolfius (*x*) in hæc verba, *ſcripſit inter cætera de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ in Apocalipſi deſcriptis & de authoritate Eccleſiæ ejuſque reformatione. In quo ſcripto multum accuſat prælatos, curiam Romanam & Papam. Oſtendit Eccleſiam Papa ſuperiorem eſſe, & queritur Spirituales, præſertim vero Curiales ſemper Reformationem Eccleſiæ impediviſſe: ac dicit, eos vel tantum ad nomen concilii contremiſcere. ſcripſit quoq; librum*

(*x*) Lib. & Cent. citt. ad Annum 1440. pag. 823.

librum de erroribus modernorum Chriſtianorum, in quo non tantum vitia deprehendit cum Laicorum tum aliorum: ſed etiam idololatriam, ut peregrinationes, concurſus ad ſtatuas, conficta avariciæ cauſa miracula. Additque, ob ejuſmodi manifeſtas vanitates & impietates, derideri ab infidelibus noſtram religionem, ac à Iudæis multos noſtros etiam in fide languefieri: quod Chriſtianis, & præſertim imperitioribus proponant illas manifeſtarias falſitates, erroreſque quibus à Sacerdotibus quæſtus gratia ludificentur, indeque eos & reliquæ noſtræ religionis vanitatem probare conari. In eo libro & illud præclare de gratuita juſtificatione ſcribit, inquiens: homines quidem accipere ac diligere alios propter ipſa eorum opera ſibi grata aut utilia: Deum vero opera accipere propter hominem: quare prius debere hominem eſſe Deo reconciliatum, poſtea ſperet, opera ſua ipſi placitura eſſe. Scripſit & de malo prolixum librum, in quo itidem cauſam omnium malorum, quæ in Eccleſia graſſantur, in ſpirituales rejicit. Edidit quoque ſcriptum prolixum, titulo, de abuſionibus Clericorum: item quod Prælati vitia curare debeant: qui ejuſdem ferme ſunt argumenti cum præcedentibus. In libro de cauſis & remediis paſſionum animi, reprehendens

Seculum XV. Anno Christi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

prælatorum ſuperbiam, diſerte dicit, eos locum tenere Antichriſti, & non Chriſti, & eos Luciferiana ſuperbia præditos eſſe. Hęc de Jacobo Guitrodio ex Illyrico Wolfius qui ad annum jam à nobis ſupra notatum ex Jacobi cujuſdam de Paradiſo, ejuſdem nominis & argumenti tractatibus, ſc. *de ſeptem Eccleſiæ ſtatibus* & *ejus reformatione*, longe plura eaque egregia, ſed ejuſdem commatis planè recenſet. ſuſpicor non diverſi authoris ſed ejuſdem eſſe, diverſo cognomine, pro more ſeculi, procul dubio noti.

Addimus Henricum Harphium, quem à patriâ *Erp*, pago Campiniæ Brabanticæ *Herpium* vocandum putat V. Andreas ſcripſit inter cætera *Theologiæ myſticæ libros* 3. quorum 1. Cap 64 ad illud Cantici Salomonis, *Exſpoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* ſic ſcribit. *Dicit Livius in prologo de Roma: quod tempore paupertatis nuſquam alter locus eo ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuerit. Et quanto rerum minus habuit, tanto minus cupiditatis habebat. ſed poſtquam divitiæ avaritiam & luxuriam induxerunt, in pejus omnino corruit.* Ad quæ Harphii verba ſic commentatur ille (*y*) apud quem hæc legimus, *ecce lector, hic*

Cant. v. 3.

(*y*) I. Wolfius lib. cit. pag. 865. ad Annum cIↄcccc-LX.

Papiſta

Papiſta ſub nomine Titi Livii dicit Romam totam ex divitiis eſſe corruptam: per ſe propter metum judeorum nihil auſus eſt proferre. Annon hoc eſt in ſpinis ſeminatum, quod metus ærumnarum ſæculi, & deceptio divitiarum ſuffocat. Hæc Wolfius cui non arridet hæc tecta Harphii Romanæ luxuriæ taxatio. quam etſi non laudo, præfero tamen eam cuivis aſſentationi. Cæterum Harphius egit Guardianum Machiliniæ Brabantorum, ubi obiit ſexto anno poſt Jacobum Gruitrodium, qui fuit ſeculi hujus ſeptuageſiſimus octavus quem tamen nondum attigimus in Sulpitio hoc noſtro, de Pontifice Pio II. nunc verba facturi. Seculum XV. Anno Christi.

Pius autem II. ante adeptum Pontificatum Æneas Sylvius vocatus fuit. Sed cum nomine & honoribus etiam mores & ingenium, verum non in melius, ut vulgò dicitur, mutavit. adeo mali ominis eſt illa nominum mutatio, quâ ineuntes Pontificatum nomini ſuo in baptiſmo indito valedicere tenentur, quod factum primum authorem habuit Sergium II. circa annum 843. quem cum puderet nominis ſui revera pudendi (os porci enim cognominabatur) illud accepto Pontificatu mutavit. Quod autem forte illum, non dedecebat, non

Seculum XIV. Anno Chriſti.

nisi κακοζηλίᾳ imitantur illi, quos nomen primum honorat magis quam ſecundum. ut vel hic Papa docere poteſt. qui quam ſane Æneas Sylvius cum eſſet habuit piam & ſanam eruditionem, Pius II. cum eſt amiſit non ſolùm, ſed & impius factus. Nam ut alia contra Papatum ab ipſo dicta factaque egregia Mornæo aliiſque memorata reticeam, in Concilio Baſilienſi, quod anno hujus ſeculi octavo ſupra quadrageſimum celebratum eſt, & in quo de Papæ ſupra Concilium authoritate inter cætera multum diſceptabatur, *in concilio*, inquam Baſilienſi præſens ipſe ſcribit & obtulit Patribus, *notabilem tractatum pro authoritate ejuſdem*, ut Hornenſis (z) noſtras loquitur, cujus ſententiam ſequutum Conciliũ Seſſ. 10 Statuit *Synodi authoritatem majorem eſſe quam Pontificum.* Verum Sylvius papa factus longè aliter & his contraria ſentiebat, ſcilicet *Papam eſſe ſupra Eccleſiam & Concilium, nec licere penitus ab eo appellare.* Quod ut commodius efficeret, bellum, quod obtentu quidẽ terræ Sanctæ quam vocant, recuperandæ & religionis Chriſtianæ ibidem propagandæ à Principibus Chriſtianis Europæis inſtinctu Pontificum geri à multis annis ſolebat, revera autem promo-

(z) In Faſciculo temporum ad Annum cIɔcccc-LVIII.

promovendo Antichriſti regno aptum erat, & propterea ſacrum nuncupatum redintegrabat. Ratus ſe, dum in hoc intenti ſunt, faſcinati & vino ſcortatio nis meritricis illius magnæ inebriati Chriſtiani principes, domo longè, abſentes & vires conſumentes, intereà eò tutius ad imperium graſſari poſſe, adeoque præter ſpiritualem etiam corporalem in depauperatos & attenuatos principes gladium ſtringere poſſe. indicit ergo Mantuæ conventum eâ de re habendum, quo & invitat principes omnes Chriſtiani orbis, & ipſi vel eorum legati convenere, referentibus Platina aliiſque. Quin & ipſe Pius II. in Epiſtolâ (a) Magiſtratui Norimburgico ſriptâ, quâ Gregorius de Heymburg eorum Syndicus à ſe ſcribitur excommunicatus, id ipſum rotundo ore aſſerit. ut autem quod propoſitum nobis eſt clarius pateſcat & fortius ſtringat, pauca de hoc Gregorio Heymburgenſi præmittenda ſunt: duce W. Wiſſenburgio (b) comite veritate Circa hæc ipſa tempora Sigiſmundus Auſtriacus dux imperabat. Hujus in ditionē venerat Nicolaus de Cusâ, modò memoratus Pontificius Legatus, occupaturus à Pio datum Brixienſem Epiſcopatum. Quod cum è re ſua non eſſe exiſti-

Seculum XV. Anno Chriſti.

(a) Æneæ Sylvii Epiſt. quæ eſt 415 extat & ſeparatim in Antilogia Papæ jam ante citata.

(b) Lib. cit. præfatione ad Appellationem Gregorii de Heymburg, ex quo præ cæteris ſua quæ de Gregorio non pauca nec levia habent Illyricus & Mornęus hauſerūt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Christi.

exiſtimaret Sigiſmundus ſe ei oppoſuit. Cum vero Cuſanus nihilominus in occupandoEpiſcopatu pergeret, & propterea ad arma utrinque veniſſent captus ipſe & detentus. Quare Pius ratus conſilia ſua non modo ſed & dominatum impediri, titulo læſæ majeſtatis fulmine percuſſit Sigiſmundum. Quod cum Princeps non agnoſceret pro bruto, ut ea temporum iſtorum erat conditio, abſolvi petiit à nexu quo teneri, & vinculo quo ligari ſe credebat. Miſit ergo Gregorium hunc Heymburgenſem, ſuo nomine ad Pium ea de causa Legatum. Qui cum nullo modo obtinere poſſet Principis ſui abſolutionem, cauſæ æquitate fretus, valvis templi florentini affigendam curavit *Appellationem*, Principis nomine à ſe conſcriptam. Quod cum ægerrimè ferret Pius Legatum inſuper ipſum excommunicavit, Epiſtolâ modo citatâ: non obſtante amicitiâ & familiaritate quę hactenus magna inter utrumque interceſſerat. Heymburgenſis ſic proſcriptus rurſum *Appellavit a Papa ad Concilium* idque ut titulus præ ſe fert *non uno modo*, datâ Pio optione quo modo reſponderi vellet, & ſua coram concilio probari: quod ſupra Papam eſſe contendebat, probabatque ex

ſacris,

ſacris & prophanis canonibus, quorum perquam, peritus erat. His præmiſſis ad inſtitutum ueniamus. Quia ergo Pius in Epiſtolâ non ſemel jam citata mentionem facit conventus Mantuani etiam memorati, ad quem omnes Principes vel per ſe vel per legatos ſuos venerint. Heymburgenſis in reſponſione ad eam authorem Pium, impietatis non ſolum & tyrannidis, ſed & falſitatis arguit. Quod quia Belgarum exemplo probat operę prętiũ eſt ejus verba hic exhibere. Sic autem ille (*c*) *Profecto ſiquidem ipſe conventum Mantuanum nuncupat conventum Regalium & Principalium Oratorum illuc tranſmiſſorum. In illo certò nihil de iis ne cogitatum quidem extat. Dicitur autem Papa Pius cum Cardinalibus ſuis ita decreviſſe Cur hoc: Niſi quia voluit Papa abuti poteſtate ſua, id eſt Tributum Talliam imponendo, & ſub velamento militaris expeditionis in Turcam inſtaurandæ, facultates Germaniæ illius, quæ eſt inter Coloniam Agrippinam & Auſtriam, ac rurſus inter Daciam & Alpes, quæ Germaniam ab Italia diſcriminant, meditullitus exhauri re Nam ex illis ſolis finibus Mantuæ ad tractandum convenere. Illi quidem ſoli videbantur apti Papæ, quos luderet. Brabantia, Hollandia, Gelria, cum circumjacentibus*

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*c*) Lib. cit. pag. 59. 2513. hęc, ut & Appellationem ipſam aliaque Heymburgenſis legere potes apud I. Wolfium lib. & Cent. cit. ad Annum 1534. pag 815-820.

Seculum XV. Anno Chriſti.

tibus reclinarunt, clam illis, quos ſupra nominavi. Vtcunque res acta ſit, nullus illorum interfuit tractatibus noſtris. Ergo Brabanti, Hollandi, Gelri, cum circumjacentibus Belgarũ populis cum anguem in herba latere non ignorarent, proprio edocti malo, non iterum paſſi ſunt ſibi imponi. Quare neque decepti ſunt ab illo, quem obtentu promovendæ Religionis Chriſtianæ, principum vires attenuantem, tam quoad ærarium, quàm milites, atque hoc modo pomæria regni Antichriſti extendere non ignorabant. Laudandum itaque eſt Belgarum horum factum, eo quod noviſſe eos non ſolùm artes Pontificiorum, ſed & eas non promoviſſe, imò impediviſſe evidenter demonſtret. Quare pro pietate & more ſuo fulmine percuſſit Belgarum præcipuum Ducem Philippum Burgundum, cognomento bonum. Teſtatur id Amandus zirizeenſis (*d*) qui de Pio II. in hæc ſcribit verba. *Poſt eum Pius 2. prius dictus Æneas Sylvius, vir eruditus, Orator, & Poeta Laureatus, annis ſex, tempore Philippi Ducis Burgundiæ, quem male dixiſſe dicitur, quia noluit dirigere militiam Chriſtianam contra Turchas.* Hæc ille.

(*d*) In Chronico, Cap. Annorum 6. ætat &c. titul. linea Pontif. Rom. pag. 93. 6.

Quia autem de Pio II. nobis nunc eſt ſermo addendum eſt aliud memora-

tu

tu dignum, Quod ſive ipſo vivente, ſive ſedem Romanam tenente acciderit, certè ad ipſius tempora referendum eſt. Quod ipſum malo te legere verbis alterius, quam noſtris. eſt ille Ludovicus Guicciardinus nobilis florentinus & egregius Hiſtoricus. Is autem ubi Deſcriptione Belgii noſtri de Friſiorum gentibus agit ſic inter cætera ad inſtitutum noſtrum pertinentia ſcribit (*e*) *Abhorrent hæ gentes ac deteſtantur adulterium omne & ſtuprum. Ideoque Eccleſiaſtici Ordinis viris, quod exiſtiment eos continere ſe non poſſe, neque uxores ſuas vellent ab iis contingi, permiſerunt uſum & jus matrimonii. Quem morem uſque ad ſua tempora duraſſe teſtatur Pius ſecundus, Pontifex Maximus. Hodie tamen hac in re nobiſcum conveniunt.* Ergo ante Pii II. tempora Eccleſiaſticis per omnes Friſiorum gentes matrimonium liberum permiſſum ex ſcripturę & Paphnutii ſententia. Qui mos obtinuit procul dubio ab initio prædicati apud eos Euangelii uſque ad poſtrema illa Pii II. infelicia tempora Quare mirum videri non debet, ſi Huldericum Auguſtanum Nicolao. I. Cælibatum Sacerdotum urgenti alioſque aliis ſe oppoſuiſſe, uxoratos item Germanos legeris Eccleſiaſticos

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*e*) Parte 3. Cap. ult. de Groninga Pag. 288. edit Blanianę Anno 1655. in 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.
ſticos. Sed quia illud cælibatus jugum ex præcipuis eſt quod urgent Pontificii, quodque inter cætera eos tales, hoc eſt dæmoniorum Doctrinam docentes, facit,

1. Tim. IV. 3.

quia item conſtat friſiorum cervicibus non niſi ſero admodum impoſitum eſſe, quis ſanæ mentis affirmabit illos ſemper in totum eorum in caſtra tranſiviſſe? Non ergo votum cœlibatus fecere Eccleſiaſtici, ubi ergo cætera duo, Paupertatis nempe & obedientiæ manſerunt? ipſos ea non feciſſe, ſaltim officio mariti contraria vota fuiſſe, certum eſt. Quis autem hoc ſæpe memoratum jugum impoſuerit friſiis, non exprimit Guiccardinus Certé non Pius. Si modo memor dicti ſui, quod ſæpius in ore habebat ſcilicet *Sacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias majori reſtituendas videri* Ni forte ex eorum numero, fuerit, qui aliter loquuntur aliter faciunt, quod licet prohibitum à Jacobo non obſervatum tamen multis Papis, nominatim ipſi Pio II. Cujus hiſtoriam concludimus Epitaphio quod ei poſitum lego apud I. Wolfium.

Jacob. II. 12.

Impius hîc ſitus, eſt Crudelis, Raptor, Iniquus.
Æneas, fatuæ quem genuere Senæ.

In quo Epitaphio præter alluſionem ad nomen

nomen pii, inter cætera obſervare licet, ejus patriam eſſe Senas Italorum. Quæ ingeniorum magnorum feraces quidem; ſed minimé ſanctificatorum: & quod mireris quorum nomina non ſine omine mali aliquid portenderunt. Nam præterquã quod hic Senenſis Pius nihil minus quam pius fuerit, alter ingenio luxurians Senenſis ille fauſtus Socinus, infauſtus plane fuit, dum fauſtam de Deitate & Satisfactione Chriſti doctrinam labefecit non modo ſed evertit, ſeductus ipſe à Patruo ſuo λαγιῷ illo Loelio, item Senenſi. Seculum XV. Anno Chriſti.

Nunc ad alia. Nuper ad annum 1434. diximus inter Burgundum Philippum & Diepholtium Nicolaum Contractum initum de tollendis moleſtiis, quas Hollandiæ & vicinarum Provinciarum proviſores Secularibus ut vocant & Laicis creabant. Quo non obſtante à delegatis miniſtris utrimque eſt peccatum. Cui malo renovatione contractus initi, & decreti à diepholtio inſuper facti, obviam ivit Burgundus Philippus: contravenientibus gravi pœnâ impoſitâ. Edito in hunc finem ſingulari edicto, cui ſupra memoratus contractus integer inſertus ſtatuit hoc 26. Septembris anno hujus ſeculi ſexageſimo ſecundo. cIↃcccc. LXII.

Nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.
Lit. H.
(g) *Inſtructie der Stede Haerlem* pag. 118. ſupra cit. in Bibliotheca Boxhornana.
Matt. XXII. 21.
Eſ. LVI. 10.

Nos illud ipſum infra exhibemus Lit. H. excerptum ex (*f*) memorato inſtructionum Harlemenſium volumine. Et hinc rurſum colligere licet & in promptu eſt, quam ab unâ parte Eccleſiaſtici attenti fuerint ad rem ſuam, & Chriſto oppoſitum regnum promovendum, & ab alterâ parte Philippus ad ſuam tuendam imperii majeſtatem. Nec mirum, Spirituale enim imperium derogat ſeculari Principum, eoſque de thronis deturbat, aut ſi non eo uſque progreditur cæcos tyrannidis ſuæ facit executores. Quod alienum adeo eſt à Chriſti regno ac quicquam in quo, ut Deo, ita & Cæſari ſua ex Regis ſententia redduntur.

Nunc Belgium deſeramus pauliſper, & Magdeburgum in ſuperiorem Germaniam nos conferamus ubi Belgam doctum, facundum, non προσωπολήπτην ſed liberè reprehendentem, & quod præcipuum veritatis teſtem, deprehendemus. Eſt is Hermannus Riid de Reen, dioceſios Trajectinæ oppido. An docendi munere functus ſit, me latet, hoc ſcio quod multis mutis canibus qui latrare nequeunt preferendus ſit, eo quod ſcriptis taxare auſus eſt eos, quos illo tempore nemo impune laceſſivit, atque adeo dum

dum non perit ſcripta littera, ut vox audita, etiam hodie eum veritati teſtimonium perhibentem habemus, & ut poſterti habeant per nos non ſtabit. Inter cætera de quibus certò conſtat ſcripſit *de Caſtitate Clericorum & ſtatu Prælatorum, de vitâ & Honeſtate Clericorum denique ſermones de tribus panibus.* quæ omnia junctim ab ipſo edita fuiſſe videntur. Quorum tamen tractatuum illum tantum legere mihi datum eſt, qui agit de vitâ & honeſtate Clericorum, & cæterorum mentionem facit, extat autem libro, ſæpius memorato. (g) Libri hujus ſummam compendiumque paucis tradere viſum eſt & ex eo inſuper ordine excerpere quæ ibidem orthodoxias Hermanni deprehendere licet nec pauca nec levia documenta. Summa autem huc redit *Statum Clericorum ſuo tempore corruptiſſimum eſſe, adeoque reformatione indigere. hanc ab iis procurandam quidem, ſed fruſtra exſpectari: quæ tamen neceſſaria adeo, ut niſi,* inquit Cap. 7. *reformetur Eccleſia & ſtatus Clericorum, ſemper hic eſt & erit deformitas inpoſterum. Etenim modernus ſtatus Eccleſiæ multipliciter vitioſus* Cap. 3. *nec Eccleſiæ ſolum, verum & Clericorum. Simoniam enim exercere & tueri. potare, inebriari*

Seculum XV. Anno Christi.

(g) Aniilogia Papæ pag. 906.

Scor-

Seculum XV. Anno Chriſti.

ſcortari, pugnare equitare vendere, emere, dominari, Phariſeorum & hypocrytarum in morē vivere. & quævis peſſima, imo Idololatriam & nihil Clericalis exercere. quare malorum omnium, nominatim perditionis populi ſibi commiſſi adeoque mortis æternæ reos eos eſſe Cap. cit. 7. Sic clamavit in gutture, neque clamorem ſuum continuit, ſed vocem ſuam tanquam tubam exaltavit & peccata Clericis indicavit. Nunc quod ſecundum eſt exequemur, adeoque Orthodoxias documenta exhibeamus. Horum ſunt 1. Quod licet ſperet Papam *tantum Patrem*, de Simoniâ non diſpenſaturum, tamen inquit, *ſemper eſt peccatum, ſive Papa approbante, ſive relaxante qualitercunque.* Ergo diſpenſationem à lege divinâ nullam eſſe agnovit. 11. alibi inquit, *Quicunque igitur Prælatus vel Præsbyter exiſtens, etiamſi Papa vel Epiſcopus hæc præmiſſa attendas, nec tibi de multitudiue peccantium immunitatem facias criminum: nec eo minus ardebis, quo cum multis.* quibus verbis non ſolum contradicit Canoni Bonifaciano, ſupra à nobis adducto, ſed & clarè ſignificat, ſe amplitudinem & credentium multitudinem pro verâ & genuina Eccleſiæ notâ non agnoviſſe. His addenda quæ alio loco habet ejuſdem

Eſai. LVIII.1.

Cap. I.

Cap. IV.

dem commatis verba: *Cum tamen nulla* Seculum XV. Anno Chriſti.
conſuetudo vel peccantium multitudo, aut
juris corruptela aliquem poſſit excuſare.
Nam diuturnitas temporis ac peccantium Cap. VII.
multitudo, peccatum non minuit, ſed auget
unde & III. Orthodoxias documentum colligere promptum eſt non abſimile præcedenti, antiquitatem ſcilicet nec eſſe notam veram Eccleſiæ nec præſcribere poſſe veritati. Adverſarii tamen gloriantur antiquitate & conſuetudine ſuperbiunt, quam nec habent & quam forte habent, non eſt antiquiſſima, ea- 2. Cor. v. 17.
que talis quæ præteriit, antiquatur & Heb.
ſeneſcit, ac proinde prope ut evaneſcat, VIII. 8.
& ut nonnemo ex noſtris dixit, ruinoſa. Sed & illa eſt ſine veritate, quæ conſuetudo, ut inquit ille, eſt vetuſtas erroris. ſequitur IV. quo Chryſoſtomi verbis graviſſimis, Papæ Primatui contradicens jugulum petit. Sic autem ille. *Quicunque* Cap. IV. cit.
Primatum deſiderat in terrâ, inveniet confuſionem in cælo. Non enim inter ſervos Dei computabitur, qui tractaverit de Primatu. Non ſine omine igitur Primatum tenens ſe vocat *Servum Servorum Dei.* Nunc aliud ſubjungamus: Ita autem Rydanus noſtras non ſolum ſed & noſter. *Verum (timeo) loqueris: & licet qua-* Cap. VII. cit.
ſi nullus videatur verus clericus in vita

Seculum XV. Anno Chriſti.

ſua & moribus, & totus ſtatus clericalis quaſi prophanatus eſt: cum tamen credamus eſſe tempus gratiæ, ſperandum erit Chriſtum Dominum aliquos ſibi hinc inde ſervare, qui non flectant genua ſua coram Baal, Dagon, ſive Beelphegor (de quibus ſupra) juſtitiam ſervantes, donec idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur auferre malum à clero aut totaliter deſtruere eos, & novum eligere ad beneplacitum ſuæ voluntatis. ut ſæpe viſum eſt in ſimilibus factis. Græci enim fuerunt optimi Chriſtiani, & perverſiſſimi facti ſunt ſuſcepit Chriſtus benedictionem ab iis, & dedit Romanis, qui modo jam devenerunt ad pejora, ut per longum dictum eſt. Cum autem Domino placuerit auferre hoc malum, ex quo diu ſtare non poteſt, eliget iterum ſibi gentem peculiarem facientem voluntatem. Et hoc eſt quod pronuntiat Beata Brigitta in ſuis revelationibus, quod Chriſtus ſumet benedictionem à Clero Romano, & dabit alteri genti facientem voluntatem Domini. Quibus verbis nec incognitam nec improbatam Rydano fuiſſe patet S. Scripturæ & Reformatorum ex eâ Eccleſiæ inviſibilem diſtinctionem quàm cum non ſolum non agnoſcant, ſed & quantum in ſe eſt evertant Pontificii, hinc V. Orthodoxias documen-

mentum fluit. Sed & his verbis perpe- tuitatem EccleſiæC hriſti in terrâ, modo hic, modò ibi, ut cum eadem S. Scripturâ agnoſcit Hermannus, ita & ex eâ, illã alicui genti aut loco, proinde Romæ quoque, non alligatam certò ducet. Quod poſtremum Romanenſes, amore ſui nimium capti, cum recipere nolint, peſſimos errores malunt defendere, quam emendare. & hoc VI. eſto. ſequitur VII. ex verbis notatu dignis: *Olim*, inquit *credentium erat Cor unum, & anima una, unus Spiritus & una fides. Iam vero non facile invenies duos ſibi invicem in Chriſto confidentes imo teterrimum Chaos ortum eſt in Ecclſia moderna per noſtros Phariſæos: inter quos non modica eſt diverſitas in jam dictis: ſed unus nititur eſſe melior alio, ſanctior, approbatior. Minores fratres ſe ſanctitate præferunt & juſtitia: Prædicatores, ſcientia & doctrina: Auguſtiſtinenſes, Carmelitæ, Antonitæ, Benedictinenſes, Bernarditæ & omnes alii, ſibi mutuo contrariantur, obloquuntur & per ſæpius perſequuntur. in quibus vera animorum diverſitas, non unitas invenitur.* Hęc ille ex vero. Quo non obſtante de concordiâ ſuâ gloriantur non ſolum, ſed & diſcordias maximas inter reformatos eſſe clamant. Quod illarum concor-

Seculum XV. Anno Chriſti.

Cap. VIII.

Seculum XIV. Anno Christi.

diam ſpectat, eſt illa diſcors. inter Reformatos autem nulla eſt diſcordia, quod tamen ſe evincere putant quando varias ut vocant eorum ſectas enumerant: puta Reformatos, Lutheranos, Mennonitas, alioſque à ſe invicem diſſidentes. Sed fàlluntur. Nam licet in eo conveniant omnes, quod à Papâ divortium fecerint, non conveniunt tamen ita ut illi quos Rydanus nominavit, & ut uno verbo dicam, non ſunt ejuſdem religionis. Quare extra oleas vagantur, hæc proferentes. Quod ſi dicant & hos inter ſe & à ſe invicem diſſidere, reſpondebo ego Reformatis (Lutheranorum aut Mennonitarum cauſam non ago, nec patrocinium ſuſcipio) non diſſidere eos inter ſe in fundamentalibus & rei ſummâ. Nec eſt quod objiciant nobis eſſe controverſias capitales, inter nos & Remonſtrantes. *Etenim è nobis egreſſi ſunt* quidem, *ſed non erant ex nobis, Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ut patefieret non omnes eſſe ex nobis.* Non diffiteor interim in problematicis aliiſque minoris momenti articulis diſcordare inter ſe Doctorum noſtrorum nonnullos. Verum ſalva manet fidei compages: nec in ſectas eunt, qui illos ſequuntur. Quicquid ſit Pontificiorum

1. Joh. II.19. 20.

non

non eſt hoc objicere nobis, nam præter quam quod, ut dictum eſt, non oriantur ſectæ apud nos, ſicut apud illos, dicam iiſdem *Medice Cura teipſum*, item *Hypocrita, ejicce primum trabem illam ex oculo tuo, & tum deſpicies ut ejicias feſtucam ex oculis fratris tui.* Nunc pergamus in excerpendis Hermanni dictis: ex quibus conſtabit hęc aliaq; ſibi ſoli non placuiſſe, ſed & aliis multis piis illius temporis viris. ſubjungit autem illa iis quæ ex Cap. VII. ſupra adduximus. *Idcirco*, inquit, *ſi hæc recitatio non valebit illis ad emendationem, ſpero quod valebit ad aliquorum conſolationem: qui cum viderint ſe habere ſocios in lamentatione horum conſolentur inde, laudantes Deum, & ſperantes illos habere participes gratiæ Chriſti.* Ergo uti ſocios habuit Hermannus, ita & Deus ſuos temporibus illis deplorandis & verè Achabæis. Quare vix eſt quod dubitemus, continuâ nec interrupta ſerie fuiſſe & extitiſſe ſemper, qui veritati litarent. Tandem, ſub finem libri ſubjuncti ſunt verſiculi ſequentes, quibus & nos Hermanni vitam finiemus.

Seculum XV. Anno Chriſti.

Luc. IV. 23.

Mat. VII. 5.

Explicit exiguum, quod tangit vitia Cleri.

Seculum XV. Anno Chriſti.

Et grave facinus, miſeros varioſque labores.
Noſtræ Scriptoris dant nomen initiales.
Eſt de Reen natus, Riid ipſe cognominatus.

1467. *Magdeburgi.*

Sed ipſum autorem legere juvabit & delectabit quare eum edere, ſtatui occaſione ita ferente, quod prolixus nimis ſit quam quod inter documenta locum obtinere poſſit.

Nunc in Belgium revertamur, & ad alia progrediamur adeoque Rydano huic alium Belgam adjungamus. qui licet eodem quo hic floruerit tempore, & forte ætate major ei tamen ſubjungendus quia anno hujus ſeculi ſeptuageſimo primo XXII. Martii, ſtylo tum recepto, nunc abolito, diem ſuum obiit octogenarius ſenex. Is eſt Dionyſius, cognomento quidem *Leeuwen*, â patriâ tamen, quæ eſt *Ryckel*, Hasbaniæ municipium, *Ryckelius* dictus, eoque nomine inter doctos notus. Vitæ inſtituto quidem Carthuſianus apud Ruræmondanos in Gelriâ, at religione non adeo corruptus ac quidem fortè valetudine & corporis habitu, eo quod ex vitæ inſtituto continenter piſcibus victitabat.

cIↃcccc-LXXI.

Quæ

Quæ ideo à me dicuntur, quia hæc Carthuſianorum Icthyophagia verbo Dei & Chriſtianæ libertati non modo adverſa, ſed & corporis ſanitati. Quemadmodum id Clariſſimus & Latiniſſimus Medicus Levinus Lemnius (*h*) docet. Cæterum Ryckelius vitam meditando, legendo & ſcribendo tranſegit. Quamplurima autem ſcripſit, quæ Valerio Andreæ aliiſque memorata, inter cætera autem contra Gerſonem pro I. Ruysbroekio. quę verò ad noſtrum ſpectant ſcopū ſunt ea ſequentia, *contra pluralitatem beneficiorum lib.* 2. *De Simonia, tractatus Duplex*, *De reformatione Clauſtralium, item de Monialium Reformatione dialogus*, contra *vitium proprietatis Monachorum. De Deformatione & reformatione Eccleſiæ.* Poſtremum hoc periit, procul dubio fraude eorum qui Eccleſię deformationem aut non agnoſcunt, aut nolunt emendatam. Præ cæteris huc ſpectant ejuſdem *commentarii in Vetus & Novum Teſtamentum*, quadruplici ſenſu, litterali, tropologico, allegorico, & anagogico. in his reperire licet expoſitiones orthodoxas non paucas, quarum nonnullas proferemus, ut pateat non ſine juſta cauſa nos Dionyſium Ryckelium inter veritatis teſtes recen-

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*h*) Lib. 1. de Complexionibus Cap. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti. fere I. in Pſalmum 142. qui ſecundum Hebræos eſt 143. ad illud Davidis *non intres in judicium cum ſervo tuo*, poſtquam rogavit quid ſit illud quod Ezechias, Jeremias, Eſther aliique in precibus ſuis ad Deum juſtitiæ ſuæ mentionem faciant, in hæc reſpondet verba, *quod non ſimpliciter*, ſed *humano modo ſe juſtos dixerunt*, *ſcientes utique quod omnes eorum juſtitiæ eſſent coram Deo ſicut pannus menſtruatus*. diſtinguit igitur Ryckelius inter juſtitiam cauſæ, & juſtitiam perſonæ. quam diſtinctionem non agnoſcunt Pontificii, adeoque ſe juſtos etiam coram Deo prædicant, ſed non juſtificati diſcedunt, ut de Phariſeo ſimiliter orante ſcriptum eſt. II. ad verſum 30 Cap. 24. Luc. ait non agi de Euchariſtiâ, etſi ibi de fractione panis, ſermo ſit qui locus tamen ex palmariis eſt, quibus Pontificii Communionem ſub unâ ſpecie probare ſatagunt. III. loca I. Tim. II. 4 & 6. univerſalis gratiæ patronis, quales etiam Pontificii ſunt favere videtur. Ad quæ tamen Ryckelius dicit, *omnes homines non collectivè* ſed diſtributive ibi accipi debere, *ut* ſcilicet, *quoſdam ex illis ſalvaret*. IV. Locum ad Hebr. IX. 22. ſic interpretatur ut Pontificiorum diſtinctionem Sacrificii expia-

Pſ. CXLIII. 2.

Jeſ. LXIV. 6.

Luc. XVIII. 14. Ibid. XXIV. 30.

I. Tim. II. 4. & 6.

Hebr. IX. 22.

expiatorii, in cruentum & incruentum, & nullam eſſe doceat & fundamentum ejus, ex Levit. v. 11. de oblatione ſimili male applicatâ, ficulneum eſſe evincat. Verum audi & lege verba ipſa Dionyſii noſtri. *Et inquit, ſine ſanguinis effuſione, facta in aliquo ſacrificio non fit remiſſio, id eſt, non fiebat expiatio culpæ, niſi neceſſitas impediret oblationem tunc enim ſufficiebat bonum propoſitum. Hoc fuit figura, quod per effuſionem ſanguinis* (nota) *fit remiſſio peccatorum.* V. Ad verſum 4. Cap 111. libri Baruch, in quo oratur Deus ut audire velit orationem defunctorum Iſraelis, hæc obſervat, per mortuos ſeu defunctos non eſſe intelligendos *qui mortui eſſent cum intercederent*, *ſed tum cum Baruch iſta ſcriberet*, adeoque nihil iſta verba facere pro ſanctorum defunctorum interceſſione. Quæ tamen cum ſint libri Apocryphi parum curanda: adeoque tali loco ipſe liber, ut & cæteri ſic dicti apocryphi Ryckelio habiti fuere: è quibus cum Pontificii dogmata fidei aut morum Apocrypha ipſa, condant, licet nobis adverſum eos, argumento ad hominem, ut vocant probationes. ſumere quarū unam imprimis hoc loco ſumimus ex Capite 6. libri. cit. jam Baruchi: quo vanitas idolorum de-

Seculum XV. Anno Chriſti.

Baruch 111. 4.

Seculum XV. Anno Chriſti.

ſcribitur non modo, ſed & convenientia idololatriæ Babylonicæ & Pontificiæ ex utriuſque collatione evincitur. utinam modò memores præcepti ibidem verſ. 4 de non imitandis Idololatris, nec metuendis colendiſve Idolis agnoſcerent peccatum & deteſtarentur, neque amplius palliarent. Sed hæc in tranſcurſu. Nunc ad Dionyſium Leeuwium reuertamur. quem ex hiſce, tanquàm ex ungue Leonem, virum eruditum veritatique teſtimonia perhibentem cognoſce.

Huic non diſſimilis fuit qui hoc ipſo anno xxv. Julii nonagenarius deceſſit ſenex, Thomas à kempis, ita à loco nativitatis dictus. Eſt autem kempinium agri & dioceſios Colonienſis oppidum. Non quidem illo nomine, quanquam non ſine ratione poſſet, hic ejus mentionem facimus, ſed quod quem kempinium dedit Daventria excepit, educavit, formavit, vivum audivit & mortuum habet Zwolla, utraque ditionis Transiſalanæ urbs præcipua. Daventriam autem puer admodum miſſus ad fratrem germanum Johannem, ubi ſub Florentio, Gerardi magni non degenere ſucceſſore, ingenuas artes & bonos didicit mores. Hinc Zwollam ablegatus, Monaſterii

naſterii ordinis Regularium, ſub Priore nominato germano fratre, incola fuit: in quo ad ſupremos gradus provectus quidem, *in* iis & cæteris *omnibus requiem quæſivit, ſed non invenit, niſi in angello cum libello.* ita de ſe loqui ſolebat, & eo magis lætabatur, quo minus hujus mundi oneribus honoribuſque detentus, ſibi deoque vacare poſſet, adeoque legeret aliquid, ſcriberet aut meditaretur. conſcripſit ergo libros aliquot, ſtylo quidem non elegantes, gratos tamen argumento, gratiores autem ejuſdem tractatione. Hos inter multum eminent quos *de imitatione Chriſti tres* conſignavit *libellos* quibus qui quartum, de Euchariſtiâ tractantem addunt, injuriam authori faciunt, nec ſuę conſulunt cauſę (*i*) Adeo difficulter ſub alienis & bonis nominibus cælari poſſunt falſa: & adulterinum eſſe ipſemet liber ille ſatis evincit. Cæterum libri hi, ſi quiquam aurei ſunt & digni qui ab omnibus legantur. Leguntur autem avidè à Pontificiis & reformatis, & quod mirum eſt utrique eorum lectione delectantur: adeo in ſui amorem lectores rapiunt quæ tamen in iis non pauca occurrunt, haud bene cum ipſorum hypotheſibus conveniunt, nominatim autem ea quæ

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*i*) G. Voetius Diſput. de præjudiciis veri cultus Aſſert Pract. Artic. *xi*. Parad. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

lib. 11. Cap. 9 §. 4. Item. 111. Cap. 8. §. 2. 3. & alibi contra hominum merita proferuntur. Vitam Thomæ multi deſcripſere, & ex noſtris nuper Jacobus Revius (*k*) vir Cl. quem conſulat, plura qui de Thomâ kempenſi ſcire deſideràt.

(*k*) Hiſt. Daventr. lib. 1. Pag. 6. &c.

Nos ad alia properamus prius tamen pauca prȩfari lubet ſuper vi veritatis. illa autem tanta eſt, ut hujus infenſiſſimi hoſtes, quam ſæpiſſimè eidem illuſtria perhibeant teſtimonia: quæ ipſis volentibus nolentibuſve erumpunt. Docuit hoc Celeberrimus Theologus Gisbertus Voetius, diſputationibus tribus illis egregiis, *de vi veritatis in ipſo Papatu erumpentis, pro aſſertione fundamentali Chriſtianiſmi, de ſalute per ſolam Dei miſericordiam in Chriſto.* Ratio evidens reſultat ex deflectione eorum ab ipsâ veritate cui contradicendæ, & errori ſtatuminando nova & invalida auxilia diſtinctionum, ipſarummet infirmarum aut inveniunt, aut quærunt. Non aliter ac criminis alicujus reus, dum ſe defendit aut abſcondit κρυσφύγετα invalida profert aut latibula minus tuta invenit: quare ſe in totum abſolvere nequit aut cælare. Hinc & Pontificius fundamentorum ſuorum reſpectu circum-

cumſpectè adeo loqui & ſcribere non poteſt, quin iis contradicendo evertat ea non ſolum, ſed & veritatem profiteatur. Exemplo ſit ſententia eorundem de ſalute obtinendâ, per merita & ſatiſfactiones proprias & alienas, ſed humanas, addendas meritis Chriſti, Salvatoris & interceſſoris unici. Ut de falſitate ejus nunc non dicam, hæc ipſa nullam conſcientiis, mole peccatorum afflictis in agone præſertim mortis conſolationem adfert. Ergo, uti quem in ſcholis Latriæ & Duliæ cultum diſtinguunt, in templis verò conjungunt: (*l*) ita aliter loquuntur quando de juſtificatione obtinendaque per merita noſtra ſalute diſputant, aliter quando ægrotant atque adeo qui corpore ſani, mente autem ægri, propriorum meritorum ſanctorum interceſſionis maximi deprædicatores, ægri corpore, ſed mente ſani, has ignorantes & contemnentes, ad eum ſolum confugiunt, qui laborantes ad ſe vocat, & juxta promiſſum requie animarum & ſalute donat, beat, exornat. Videtis ergo vim veritatis expreſſam iis. Nunc ad rem, id eſt hiſtoriam deveniamus. Ea eſt, quod Coloniæ in D. Cuniberti templo ſit inventus, liber Germanicâ linguâ M. S. quo viſitandorum & conſolando

rum

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*l*) P. Servita, additamentis ad E. Sandiſii relationem de ſtatu religionis, Cap. 2. quæ Anglice ab authore deſcripta, Italice etiam procurante dicto P. Servita Theologo veneto Poſtmodum in alias linguas, etiam vernaculam noſtram verſa,

Seculum XV. Anno Christi. Matt. XI. 28, 29. cIɔcccc-LXXV. (m) Lib. de Cauſis cur Catholici in antiqua Chriſtianitate perſeverent Cap. 14. Cauſ. 14. pag. 416. qui Germanice coloniæ 1589. prodiit. (n) Lib. 4. de Papiſmo, pag. 328.

rum ægrorum ratio & forma præſcripta iis, quorum muneris id erat quam & iidem obſervabant. Autor ejus creditur B. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus: qui floruit anno 1060, vel ut aliis videdetur 1080. & eundem latinè conſcripſit, at poſtmodum in alias linguas converſus eſt, nominatim autem in linguam Germanicam, ſi non ante, certe anno hujus ſeculi ſeptuageſimo quinto: ut teſtatur qui hæc tradit Caſpar Ulenbergius (m) Colonienſis Canonicus eo autem fine tradit hoc, *ut evincat in denſiſſimis Papatus tenebris ad Chriſtum & ejus merita homines adductos, & quia ad eadem hodie etiamnum ducentur, non deſerendam eam religionem ſed conſtanter retinendam.* Ubi verba ipſa huc facientia exhibuero reſpondebo ad hæc Ulembergii. Non adducam tamen ipſa ejus verba (quæ hactenus quidem ſummatim & latine à noſtris Theologis ſuis ſcriptis inſerta ſed nunc tandem plenè deſcripta & in lingua ſua Germanica exhibita legi in aureâ ſummâ controverſiarum religionis verſatiſſimi Theologi Johannis Hoornbeeckii (n) ſed alia his ſimillima Belgica, ex antiquo impreſſo exemplari in 8. cujus uſum mihi pro ſuâ humanitate conceſſit

idem ille Clariſſimus Hoornbeeckius. titulus libri eſt hic. *Hier begint die commendacie voor die ſiecke menſchen, als ſi liggen op haer wterſte.* non adſcriptum tempus editionis, ſicut nec nomen typographi ſic porro incipit. *Men vint beſcreven in ſinte Ancelmus Boecken datmen eenen kerſten menſche die op ſyn verſcheiden leit eer hi ſterft ende dewile dat hy hem verweert ſo ſalmen hem vragen ende hem voorleggen aldus. verblyt ſtu di dat een kerſten menſche biſt ende int kerſten gelove ſterven wilt alſt die wille Gods is. Ende ſo ſal dye ſiecke ſeggen ja ic. ende ſo vraechtmen voort. Berouwet di dattu alſo wel niet geleeft en hebſte alſtu mit eechte gedaen ſoude hebben. jaet. Berouwet u uwe ſonden ende hebdi die wil u leven te beteren of God u ſparen woude. Iae ick. Geloefſtu dat onſe Here Ieſus Chriſtus die voor dy geſtorven is. Ia ic. Danckeſtu ende loefſtu hem daer of. Ia ick Geloefſtu dattu niet behouden en moechſte werden ten waer overmits den Doot ons Heren. Ia ic. Soo love ende dancke gode alle die wiil dattu leeft ende die ſiele in dy is ende ſet alle dyn gelove ende hope, ende dyn minne in hem ende in anders geen dingen ende beveelt u ſelven der paſſien ende den Doot ons Heeren Ieſu Criſti ende bewint u ſelven*

Seculum XV. Anno Christi.

daer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

daer in met gepeynſen ende met enen bitteren overdencken ende beſcuddet u daer mede Ende wil u die overſte rechter veroordelen ſo ſegget aldus. Heere den doot Ieſu Chriſti die ſette ic tuſſchen mi ende dyn oordeel ende anders en vermete ick myn gheen Were. ende ſeyt die Heer dan du hebſte verdient der verdoemeniſſe, ſoo ſegt Here dyn ontfermherticheyt ende dinen bitteren Doot die voege ic tuſſchen di ende m̃i ende ſegget Here IeſuChriſte levēde Gods Soon ontfermt myns dooruwē bitteren Doot. End denc̃t een droppels Bloets dat wten gebenediden Lichã quam ons behouders ons Heren Ieſu Chriſti genoech hadde geweeſt om dye werelt mede te verloſſen. Ende als die menſch ſterft ſalmen hem voor ſeggen ſyn eyndel vaers ende dat is aldus. In dinen handen beveel ic minen gheeſt Heere du hebſte mi verloſt God der warheyt. verlicht myn ogen op dat ic niet en ontſlape in myn doot ende dat myn viant niet en ſegghe ic heb macht gehadt tegens hem, Heere Davids ſoon ontfermt di mynre Chriſte des levende Gods ſoon ontferm di mynre.

Soe wie dit leeſt of voergeſeit wort in ſyn uterſte of eer hy ſterft op dat hy heeft kenniſſe ende rouwe van alle ſyn ſonden, ende onrecht goet heeft wedergekeert, ende ſyn leven wil beteren is dat ſake dat hem

God

God wil ſparen ende, te live blyft ende dan ſoo mach warachtelic die menſche te vrilic ende ſeeckerlyc. Huc uſque ægrorum conſolatio Belgica, eadem cum Germanicâ Ulenbergio citata. utraque ex Anſelmo cujus interrogationes homini proponendæ morienti, ut conſolatione plenæ, ita & orthodoxæ ad eas reſponſiones adeo veteribus placuere, ut eas proponi & reſponderi voluerint. placuere autem non paucis, ſed multis, non hominibus modò privatis, ſed & Eccleſiis ipſis Epiſcopis & paſtoribus. quare & fatente ipſo Ulenbergio non Coloniæ modo, ſed & per totum Chriſtianum orbem in uſu fuere. Atque ut nunc tandem quod propoſitum eſt exequamur; Ita quidem eſt, quod denſiſſimis Papatus tenebris homines ad Chriſtum & ejus merita adducti ſint etiam in hoc Belgio noſtro, ſed quod propterea in papatu manendum ſit, non ſequitur. Nos quidem inde evincere poſſumus conſervationem Eccleſiæ, ejuſdem ſucceſſionem & perpetuitatem. Eccleſiæ dico, non Romanæ, non Pontificiæ, ſed noſtræ ſed reformatæ. neque enim nos, aliter docemus, & doceri urgemus. Non verò ea hodie docentur in Eccleſiâ Romanâ: aut ſi moribundis talia proponuntur

Seculum XV. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti. (o) Citante I. Hoornbeeckio lib. cit. pag. 329. Apoc. XVIII. 4. (p) *Titulus eſt*, Concio plena conſolationis & orthodoxæ doctrinæ, peccatorum remiſſionem ac ſalutem in ſolo Domini J. Chriſti merito quærendam & An idem hoc Chriſti meritum aliquot retro annis in Papatu doctum ſit, atque etiamnum doceatur habita ingolſtadii per M. Eiſengrinium latinitate donata per T. Bredenbachium. Coloniæ. 1567. in 8. 1565. feria 2. Poſt Pentecoſten, ad textum Joh. 3. 16. 21.

nũtur jam non amplius Pontificii ſunt, ſed reformati. dicit quidem Ulenbergius hodie eadem proponi, ſed quando addit (o) *de verbo ad verbum non recitari*, propria conſcientia convictus fatetur eos diſceſſiſſe ab antiqua veritate. adde quod forte ſumma eorum, & ut loquuntur, ſubſtantia, tradatur etiam hodie, ſed non ſola ei quippe tot falſa tot noxia tot ſuperſtitioſa & idololatrica adjunguntur, ut difficillimum ſit moribundis vera à falſis, prętioſum à vili diſcernere: quare ſemper ratum manet iſtud Domini *Exite ex eâ populus mi*. Sed ut quod ſentio liberè dicam. Pontificii quotquot ſunt, nominatim præter Ulenbergium Martinus Eiſengreinius (p) Præpoſitus Moſrurgenſis & olim Bavariæ Ducis Alberti, ad Pontificem Orator, Concione de merito Chriſti, fucum faciunt auditoribus ſuis horum recitatione. Nam licet ille etiam hanc adducat Anſelmi inſtitutionem aliaſque Doctorum de merito Chriſti ſententias illudque ipſum magnifice extollat additione tamen

men cęterarum nugarum, ne quid pejus dicam, id penitus evertit. ſed audi verba ipſa, quæ non ſine horrore refero: *illud aſſerimus* inquit, *quantumvis vile quippiam & frivolum appareat, cruce ſe conſignare, univerſam tamen religionis noſtræ diſciplinam, & ut paucis multa complectamur, compendium quoddam Chriſtianæ fidei, in hac ipſa comprehenſum, ita ut ſi ſimplicior aliquis qui tamen baptizatus ſit, non amplius ſciat aut intelligat de fide Chriſtiana quam quid velit aut deſignet crucis effigiatio, hic inquam talis ſalutem conſequi poſſet.* Hoc unum è multis quod quomodo conveniat cum *expreſſa confeſſione*, ut eam in margine vocat, *Catholicorum de merito Chriſti*, quam edit & in præfatione & in concione ipsâ, & quam ipſa veritas ipſi extorſit in hæc verba. *Eccleſiæ de merito Chriſti doctrina nunquam alia fuit, quam ego in hodiernum uſque diem eam trado & publice doceo: Nimirum SolumChriſtum Ieſum, per ſacrificium quo ſemetipſum in ara crucis obtulit, Deo Patri ſuo ubertim ſatiſfeciſſe, eodemque remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios ejus, & hæreditatem regni cæleſtis abundanter meruiſſe. Quin & hoc adjicimus, nos nec Sacramentis, nec bonis operibus, nec ulla alia* Seculum XV. Anno Chriſti.

re

Seculum XV. Anno Chriſti.

re egere ad hoc, ut hæc ipſa denuo & ab integro mereamur. Chriſtus enim hæc ſemel ſufficienterque meruit. Cæterum nemo hujus meriti ejus particeps eſſe poterit, niſi ſe ipſum per ea ipſa media, quæ Chriſtus inſtituit, participem reddiderit: quomodo inquam hęc inter ſe conveniant non video. Quicquid ſit gratulor veritati de tali confeſſione & confeſſore quem miror non eſſe notatum à cenſoribus librorum ſanè vel hoc ſolo nomine proſcriptum lego (q) libellum conſolatorium Matthæi Leonardi, apud veranos Sacellani ita enim in appendice ad Catalogum librorum prohibitorum ſcriptum eſt, *Sterf Boecken inholdende voor die ſiecken tot die bereydinge des Doots, gecopuleert uyt der heyliger ſchrifturen door den weerdigen Prieſter Heer Mathiis Lenaerts ſaliger memorien, Capellaen vande vere in Zeelandt. Gedruckt te Campen, in die broederſtraet by my Peter Waermeſſoene,* wonende *inden Witten valck.* In quo continetur iſte ſequens articulus. *Iſt ſaecke dat gy bekent dat gy der ſondaren een ſyt, ende betrout dat Chriſtus geſtorven is voor uwen ſonden, ſoo heeft Chriſtus alle uwe ſonden op hem genomen, en heeft daer voor ſoo volcomentlyck voldaen dat gy daer voor niet doen en derft.* Atque ita prohibent

(q) Index librorum prohibitorum, Cum appendice in Belgio ex mandato regis conferta 1510. in 8. Plant. Tit. *Dnytſche boecken,* Lir. S.

hibent hi cenſores Belgæ, quod alii ante annos duodecim permiſerant, ſingularique privilegio regali approbarant (*r*) in Inſtructione Chriſtianâ per F. I. Petrũ Ravillianũ gallice apud Chriſt. Plantinum Anno 1558. edita. Sed ut ad Colonienſes revertamur, diximus in eorum uſum linguâ Germanicâ deſcriptum fuiſſe tractatum Anſelmi de viſitandis & conſolandis ægrotis quod ut in præludium futurę reformationis factum, ita nec ſolum. Teſtatur enim & fatetur Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis in præfatione Concilii Colonienſis (*s*) *tantam luem invaſiſſe univerſam Eccleſiam ut multa ipſe, ex Conſilio quorundam Epiſcoporum & Cleri ſui, contra Eccleſiæ Romanæ ſtylum communem, correxerit.* Hæc ille circa idem tempus. Ex quibus omnibus majorum noſtrorum Orthodoxia & per conſequens ſalus eorundem evidenter patet: atque adeo ut diximus Eccleſiæ noſtræ ſucceſſio, duratio & antiquitas.

Seculum XV. Anno Chriſti.

(*r*) H. Boxhorn in ſyn *antidctum Catholicum* pag. 122. *eynde des boeck* in 8.

(*s*) Citant I. Wolfio lib. & cent. citt. pag. 291. ad Annum cIↄccccLXXVII.

Porrò hic idem ſeptuageſimus ſeptimus annus illuſtris eſt, editione primæ partis Bibliorum ſacrorum ſive Teſtamenti Veteris: linguâ noſtrâ vernaculâ factâ Delphis Batavorum, apud Jacobum Jacobi, & Mauritium Imani, Middel-

Seculum XV. Anno Chriſti.

delburgium. (*t*) *Ter eeren Gods* (ſub calcem hæc verba leguntur) *tot nut ende ſtichtinge der Kerſten geloovigen Menſchen, geprint tot Delf in Holland, by my Iacob Iacobſe, ende Maurits Imants van Middelburch.* 1477. Hæc verò ſimpliciter relata, inſtituto noſtro non poſſunt non inſervire: eo magis tamen, quando animadvertimus Laicis ut falsò Clerum Domini vocant in Eccleſiâ Romanâ. S. Scripturæ lectionem in linguâ vernaculâ interdictam, & hoc ſolo nomine morti nonnullos adjudicatos olim fuiſſe hodie paululum remiſerunt à priſtinâ tyrannide & ſeueritate veritate victi, an ut majoribus noſtris martyrĩi gloriam adimerent, incertum. Nunc ergo Laicis nonnullis eam concedunt: illo autem tempore obſcuro & infelici capitale erat. Quare hic noſter Bibliorum editor, præfatione ad ea in hæc ſcribit verba, *Nochtans wete ick dat het ſal werden ſeer benyt onder die Clergie, hoe wel dat ſy nochtans weten ſullen die Oorbaerlycheyt daer aff:* quaſi dicat, ſcio *quidem Clericos ægre hanc editionem laturos, tamen quia ut illi ipſi, ita & ego non ignorans utilitatem inde redundaturam, hæc ut vides edidi in vernacula noſtra lingua, ut in ea legant Scripturam ſanctam etiam ſimplices Chriſtiani*

(*t*) Leguntur ea hodie in Bibliotheca Publica Academiæ Leydenſis. Plut. A. Libt. Theol. P. Pet. v. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ſtiani. Utilitatem autem lectionis ſcripturæ in linguâ vernaculâ probat primum autoritate Gregorii deinde ratione, quam his verbis proponit & exequitur. *Want ſommige Clercken torent dat datmen de heymelyckheyt der ſchrifture den gemeynen volcke ſoude ontbinden, ende dat by ſondere die de minſte Clercken ſyn, ende en willen niet weten, dat Chriſtus Apoſtelen in alle tongen ſpraecken, ende haer leeringe ende predicatie den volcke leerden ende beſchreven* quorum hæc eſt ſententia *Nonnullos clericos hoc male habet, quod myſteria Scripturæ populo referemus, eoſque tales quidem, qui eorum minimi ſunt, qui & ſcire nolunt quod Apoſtoli Chriſti omnibus linguis coram populo locuti ſint, & doctrinam ſermoneſque ſuos docuerint, & in eorum uſum litteris conſignarint.* Ut prætercam quod hic noſter odium Clericorum inſuper habuerit & viriliter contemſerit, ex hiſce patet quod etiam inter Clericos non pauci, iiſque doctiſſimi, fuerint ejuſdem ſecum ſententiæ adde quod iiſdem continetur non unum nec invalidum argumentum pro lectione S. Scripturæ in linguâ vernaculâ, ejuſque uſu in ſacris. Primum probat exemplo imitando, Apoſtolorum. *illi* inquit *omnibus linguis locuti*

Seculum XV. Anno Chriſti.

Act. II. 4.

Seculum XV. Anno Chriſti.

locuti ſunt. quod ut eſt conſentaneum veritati & rationi, ita & inde ſequitur, iis legendum eſſe linguis, quibus locuti fuerunt: quum eundem lectio & locutio habeant finem, nempe intellectum eorum quæ leguntur & audiuntur. Hinc addit, *doctrinam & ſermones ſuos populum docuerunt*. Doctrina eadem eſt, modi docendi diverſi: alius eſt qui vivâ voce, alius qui ſtylo fit. Nec refert quomodo fiat dummodo finis docendi obtinetur. quod fit quandoque ſcribendo, quandoque dicendo, quandoque & dicendo & ſcribendo. Ergo cum Apoſtoli voce docuerunt ſuos, quare illis, qui eos audire non potuerunt, legere non permiſſum ea, quæ ut legantur, conſcripta ſunt? Nam quod, verbi gratia Petro licet audire, licet Paulo legere quod Paulus æque ac Petrus audiviſſet, ſi eodem quo Petrus vixiſſet tempore, aut fuiſſet loco Huc accedit quod Apoſtoli ſermones ſuos inſuper *conſcripſerint*. Iam autem quæ ſcribuntur, in non alium finem ſcribuntur quam ut legantur. Ergo cum Laici fuerint auditores ſermonum Chriſti & Apoſtolorum quid ni & iidem eorundem jam & conſcriptorum ſint lectores? Solue nodum ſi potes quiſquis es Lucifuga & miſographe Papiſta Sequitur

Sacris, vel ſaltim tali, quæ auditoribus non barbara, ſed intellecta. quod probat quando Apoſtolos *omnibus linguis Populo locutos* eſſe ait, ſicut & teſtatur Lucas eorum auditores diverſæ nationis & linguæ dixiſſe *audimus eos unuſquiſque lingua noſtra & propriâ magnalia Dei loquentes*. Ergo vernaculam linguam audiebat quiſque eoque nomine ſibi gratulabatur. Sed ut hoc addam, an vernacula ſit, parum refert, modo audientibus intelligatur. Unde Lingua Romana Germanis nunquam vernacula, ſed olim ob familiaritatem & amicitiam quam cum Romanis nonnulli colebant iiſque intellectu facilis, atque adeo illâ etiam ſacra peracta; quod tam diu culpâ caruit, quam diu ea à vulgo intelligebatur: quare eam retinere adhuc, atque adeo ex puriſſimâ aliàs & cultiſſimâ linguam, barbaram facere, perabſurdum eſt, & ab Apoſtolo olim vitio habitum. Sed de uſu linguæ latinæ in ſacris ſupra diximus. Nos gratulemur Belgis noſtris quod jam tunc habuerint Biblia vernacula: ex quorum attentâ lectione procul dubio nata ipſis fides, quando ei ingenerandæ à Deo inſtituto medio, auditu ſc. verbi deſtituti fuere.

Seculum XV. Anno Christi. Ibid. 6. & 11.

1. Cor. XIV. 11.

Rom. x. 17.

Circa hæc ipſa tempora in Germaniâ

Seculum XV. Anno Chriſti. cIↄcccc-LXXIX.

utrâque in uſu venêre & nata ſunt proverbia quædam, in corruptum orbis & urbis ſtatum. Illuſtris P. Mornæus (*u*) enumerat ſequentia. *Hoe naerder Roomen, hoe erger Chriſten.* id eſt, *Quo quis Romæ propior, eo pejor Chriſtianus*: quod ad doctrinam æque referendum ſupra dixi, ac ad mores: ſicut & illud, *hoe geleerder, hoe verkeerder* quod vel evincit idem proverbium latinis uſurpatum, *quo doctior, eo perverſior.* II. *Inden name Gods, begint alle quaedt.* quod latine ſonat, *In nomine domini incipit omne malum.* Quod ut rerum ignaro blaſphemũ videatur, nihil minus tamen quam illud eſt, ſed veriſſimum. vult enim Bullas Pontificum, quibus indulgentiæ promittuntur, Romam peregrinantibus, ad bellum ſacrum proficiſcentibus &c. quarumque exordium eſt, *In nomine domini*, non evacuare ſolum burſas, ſed & bella, diſcordias & cætera mala, aut vetera alere, aut nova ſuſcitare III. *Die voor de eerſte reys nae Roomen gaet, ſiet den quaden: voor de tweede reys, kent hy den ſelven: voor de derde reys, brenght hy hem mede.* Latinè ſic effertur, *qui primo it Romam, videt ſceleſtum: qui ſecundò, cognoſcit: qui tertiò in patriam refert.* Quod eleganti diſticho comprehendit quiſquis eſt (*x*)

Ro

(*u*) Lib. ſæpius cit. ſeu Myſterio iniquitatis circa Annum 14.

(*x*) I. Wolfius Lect. Memor. & Recond. Tom. 2. Centen. 16. pag. 21. ex vetuſto codice in Peregrinationes ad limina Apoſtolorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Roma, Vale, Vidi. ſatis eſt vidiſſe: revertar,
Et leno meretrix, ſcurra, cynædus ero.

Seculum XV. Anno Chriſti.

Eſt ergo proverbium hoc, ut in Papæ & curiæ Romanæ corruptos mores, ita & in peregrinationes æque ac peregrinantes iis non emendatos factum. Illas ergo non immerito Fred. ab Heylo ſupra memoratus vocavit *levitatis nutrimentum:* Hos vero, taxat, aliud Belgarum proverbiũ, *van ſieckte ofte van bevaert gaen, betert ſelden jemandt*, id eſt, *Rarò quis morbo aut peregrinatione emendatur.* Quia autẽ de proverbiis uſui noſtro inſervientibus nunc facta eſt mentio, non alienum futurum exiſtimo, ſi quæ ſuper iis plura dicenda habeo, ea proferam hoc loco & præcedentibus addam ſunt autem illa non pauca aut levia, & illuſtre ſuppeditant argumentum: quod inter Belgas, qui proverbia hæc aut ipſi invenerunt, aut inventa ab aliis conſervarunt, omnes illi improbarint fidem moreſque Eccleſiæ & curiæ Romanæ. Cæterum etſi præciſum tempus quo nata ſint indicare nequeam, tamen antiqua illa eſſe prorſus haud eſt dubium. Eſt enim penes me libellus (*y*) quo pleraque Belgarum adagia continentur, qui præter-

(*y*) Adagia, *ofte gemeene Duytſche Spreckwoorden gedruckt toe campen by mi Pieter Warners* 8550. 8.

Secutum XIV. Anno Chriſti.

quam quod jam integro, & quod excurrit, ſeculo elapſo ſit excuſus, ipſa dialectus, antiquitatem prorſus, ſapiens, te docebit non recens tum, nec cum Luthero ea eſſe nata. Ex hoc ſequentia profero. *Wat eenen God geeft, dat ſal hem ſanct Peter niet nemen* id eſt. *Quod alicui Deus immiſit, non auferet Sanctus Petrus.* Ut autem intelligas noſtro hoc inſervire inſtituto, proverbii hujus mentem & uſum paucis explicabo. Si verbi gratiâ, quis morbo afflictus, is proculdubio à Deo hoc malo viſitatur. Notum verò eſt Pontificios in hoc aut ſimili à Deo immiſſo malo, ſanctos nominatim quoque Petrum invocare, ut ſe liberet & pro ſe orare dignetur. Fruſtra à Sancto Petro liberari cupis, proverbium dicit, cum immiſſum à Deo pœnæ malum ab alio auferri nequit, niſi ab eo qui immiſit. huic non diſſimile eſt aliud. *Heeft het my God beſcheet Sanct Peter en neemt het my niet* id eſt, *ſi deſtinavit mihi Deus, non tollet Sanctus Petrus.* utrumque autem proverbium non convenit cum Pontificiorum hypotheſibus de duliâ ſanctis, Petro nominatim deferendâ, adeoque fidem eorum impugnat idem faciunt ſequentia: *Ick geloove geen H.lligen of ſy moeten mirakel doen:* id eſt, *non credo Sanctis,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ctis, niſi miracula faciant item. *Ick viere geenen Hilligem, dien ick niet gevaſt en hebbe.* id eſt, *non celebro feſtum Sanctorum, quibus non jejunavi* tandem, *Die tegen ſyn danck ter kercken gaet, en ſchiet geen goedt vande miſſe,* id eſt, *qui invitè ſacris intereſt, huic non prodeſt miſſa,* cui præcedit, *Gedwongen dienſt en gelt niet,* id eſt, *Coactus cultus non utilis.* Atque hæc ex dicto libello, contra fidem Papiſtarum, quibus addo aliud non minus vetus, quàm notum, ſed male vulgò intellectum, *Sich voor dich, God voor ons allen.* Quod inofficioſi, inhumani, & ſibi tantum utiles quidem allegant, quando ob officia humanitatis neglecta aut denegata taxantur, ſed ut contra ſcopum proverbii, ita non ſine temerariâ nominis Divini uſurpatione. Ea autem eſt ejus origo, ut cum in denſiſſimis Papatus tenebris jactarentur opera ſupererogationis, ut vocant ea quæ non ſunt, atque adeo unus pro alio mereri crederetur; pii & orthodoxi majores noſtri dicebant, *unuſquiſque pro ſe ipſo,* credat & reſipiſcat, Deus ſolus autem omnibus nobis ſufficit. atque ita ut juſtificationem gratuitam per redemptionem in Chriſto agnoſcebant ita opera ſupererogationis, indulgentias miſſificationes, & quicquid porro eſt re-

Seculum XV. Anno Chriſti.

Rom. III. 24.

Seculum XV. Anno Chriſti.

rum venalium in Eccleſiâ Romanâ rejiciebant. addo aliud quod omnibus ſanctis indiſcriminatim denegat quod ſupra Petro ſpeciatim denegabatur. *Als God niet en wil, ſoo en kan de Sanct niet,* id eſt, *Deo nolente nil poteſt Divus*. Quod Poſtremum excerptum eſt ex alio Proverbiorum Belgicorum libello(z) quem etiam penes me habeo. qui item ante ſeculum prodiit, Privilegio cæſareo munitus, & à Johanne Goeſmio Theologo approbatus. in hoc & alia occurrunt huc facientia, quæ ad Cenſuram morum Cleri ſpectant, Qualia ſunt inter cætera. *De moninck preeckte datmen niet behoorde te ſtelen, en hy ſelve hadde den gans in ſynen ſcapularis*. id eſt, *Monachus pro concione docebat non eſſe faciendum furtum, ipſe autem anſerem ſub ſcapulari veſte tegebat* item *'t habyt en maeckt den moninck niet*. Eſt latinum etiam proverbium. *veſtis non facit monach m.* tandem, *Die ſyn huys wil houden ſuyver: die ſet daer in noch Paep, noch duyve*. id eſt, *Qui domum ſuam mundam & caſtam vult conſervare, non recipiat in ea Papam* (ſic noſtrates vulgò Paſtorem Pontificium vocant) *aut Columbam*. Atque hæc de proverbiis hactenus.

(z) *Seer ſchoone Spreeckwoorden ofte Proverbia in* Francoys *ende Duytſch 't Antwerpen by hans de Laet.* 1551. in 8.

Sequitur annus undeoctuageſimus, illu-

illuſtris teſtimonio quod apud Wormatienſes veritati dederunt, Johannes de Veſaliâ,& Joha Weſſelus, cognomento Baſilius Patriâ Groninganus friſius, ille Wormatienſis Eccleſiaſtes Hic panſo phus Doctor, Theologus juxtà ac medicus inſignis. De his agere inſtituti ratio poſtulat. agemus autem pimùm de Veſalienſi, deinde de Groningano.

Ac Johannem de Veſaliâ quod ſpectat, ille ſedulò, & fideliter ſuo eſt defunctus munere: Ut enim in concionando diligens & fervidus, ita & in docendo, non fabulas, hominū propoſuit, atque adeo orthodoxus fuit. Quare & quod ſæpe dicere ſolitus erat, expertus eſt, ſc. *Quam difficile nunc eſt, Chriſtianum eſſe.* Etenim apud inquiſitores hæreticæ pravitatis accuſatus, ab iiſdem Condemnatus, & poſt diuturni morbi ſqualorem ad palinodiam canendam adactus. quam ceciniſſe quidem teſtatur (a) *auctor examinis Magiſtri Iohannis de Veſalia*, qui eidem interfuit ſed & affirmat omnes quotquot erant judices, ipſi adverſarios fuiſſe, neque inquiſitorem ullum ætatis maximæ, aut graviſſimi morbi reſpectum habuiſſe, ad hæc Deum teſtem invocat, proceſſum contra ipſum inſtitutum, ad palinodiam &

Seculum XV. Anno Chriſti.

(a) Citat P. Mornæo & integrum ex Ortwini Gratii faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum exhibitum ab Abrah. Mellino lib. 2. Martyrilogii magni fol. 594, 595, 596.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

combuſtionem librorum admodum diſplicuiſſe M. Engelino de Brunſvico, & Johanni Keyſerbergio: *duobus* inquit *utique viris tum doctis, tum integris. Præcipue vero Magiſtro Engelino viſum, nimis præcipitanter cum tanto viro actum eſſe: immo non verebatur aſſerere multos articulos ejus & majorem partem poſſe ſuſtineri.* Hæc ille atque his verbis finit examen ipſum, & quid poſt revocationem Johannis, & librorum ejus combuſtionem actum ſit non refert. Johannes Criſpinus in Martyrologio Gallico, ut teſtatur Mellinus, item Adrianus Cornelius Haemſtedius (qui primus ex Belgis martyrologium Belgicum conſcripſit ediditque 18. Martii, 1554 quod inſcripſit Gubernatoribus & ordinibus Belgii, nominatim, Brabantiæ, Gelriæ, Flandriæ Hollandiæque, expreſſo nomine & munere quo fungebatur, item loco quo ſcripta erat dedicatio in hæc verba *Allen Eerbaren Wyſen Edelen Heeren* &c. *wenſche ick Adrianus Haemſtedius, Dienaer des Goddelycken worts binnen Antwerpen* item *geſchreven binnen Antwerpen en voleyndicht inden jare onſes Heeren* 1559.) Haemſtedius inquam, teſtantur Johannes de Veſaliâ Moguntiæ publicè morti adjudicatum & traditum, eoque

nomi-

nomine eundem martyrologiis ſuis inſerunt. Nos illorum ſecuti fidem ejuſdem hoc nomine etiam mentionem facimus, eumque inter martyres noſtros, non ſolum, ſed & noſtrates collocamus. Ne autem hoc ſine juſtâ causâ facere videamur capita accuſationis & condemnationis referemus: Non quidem omnia, ſed ea quæ minus nota hactenus ſaltim apud nullum alium eo titulo & ordine legi quam apud ſæpiſſime memoratum J. Wolfium, (*b*) qui poſtquam de verbo ad verbum deſcripſit ea, quæ Flaccus Illyricus de Veſalienſi habet in Catalogo teſtium veritatis, ſequentia *de eodem* ut inſcriptio habet, hoc eſt J. de Veſaliâ, in hæc ſcribit verba. *Eo tempore quo Æneas Sylvius Papa Dietherum Episcopum Moguntiacum indigniſſime depoſuit iſte Iohannes ab hæreticorum inquiſitoribus ſuæ fidei rationem reddere eſt juſſus: ubi inter cætera contra Pontificem hæc ſtatuit*: I, *oportere Prælatos ſolum Evangelium docere, non novas leges condere* II. *Indulgentias nullius eſſe pretii* III. *Decretis Eccleſiæ neminem ita ligari, ut ea omittens peccatum mortale deſignet* IV. *Electos ſola gratia ſalvari* V. *Etiamſi nullus Papa eſſet: nihilominus tamen omnes, quicunque eſſent ſalvandi* VI. *Papas, Epiſcopos &*

Seculum XV. Anno Christi.

(*b*) Lect. Memo. & Recondit. Tom. I Cent. 15 ad Anno 1464. pag. 865. debet eſſe 875.

Seculum XV. Anno Chriſti.

& Prælatos nulla neceſſitate, ſed tantum propter ordinem & pacem creatos fuiſſe VII. *Si Petrus jejunium inſtituiſſet; potuiſſet exiſtimari, ideo feciſſe, ut piſces ſuos facilius ac citius venderet. Sed Chriſtum non præcepiſſe à carnibus abſtinere, nec ullum unquam cibum prohibuiſſe.* VIII. *Chriſtum non aliam Orationem docuiſſe, quàm Pater noſter.* IX. *Chriſtum non præcepiſſe, ut horæ canonicæ & ſeptem tempora decantarentur* X. *D. Petrum ſola oratione Dominica Miſſam celebraſſe, ac inde ſe ſuoſque inſtruxiſſe.* Hactenus Wolfius, hæc de Veſalienſi, dicenda habebamus: cujus hiſtoriam qui plenius cupit cognoſcere, adeat memoratos autores, nominatim Illyricum in Catalogo teſtium veritatis, & Mellinum in Martyrologio magno.

Nunc de altero Johanne dicendum.is, ut diximus jam, erat Weſſelus cognomento Baſilius & Ganſfortius, doctrinâ clarus adeo, ut *Lux mundi* vulgò audiret. diu multumque peregrinatus eſt, nominatim academias orbis celebriores viſitavit, contulit, & diſputavit cum Doctoribus & magiſtris earundem celeberrimis circa hoc autem tempus degebat & ipſe Wormatiæ, & quia Veſalienſi amicitiâ arctâ junctus non ſolùm, ſed &c

in profeſſione veræ doctrinæ adſtipulabatur, *putabat*, ut ipſe in quâdam Epiſtolâ ſcribit, *quod mox condemnato Veſalienſi, ad ſe examinandum inquiſitor eſſet venturus*. Et ſane niſi interceſſiſſet Davidis à Burgundiâ, Ultrajectini Epiſcopi, (cujus medicum agebat (*c*) authoritas, non minus hunc Groningenſem quàm Veſalienſem lucis oſores perſequuti eſſent. Atque ita de manibus ferarum liberatus in Patriam ſe contulit, ubi decennio elapſo, annum agens ſeptuageſimum, & vitæ ſatur, placidè in Domino obdormivit. Scripſit multa, quę partim Lipſiæ, partim Antverpiæ, partim Baſileæ excuſa in Bibliothecis extant, & omnia inter authores Primæ Claſſis in Indice librorum prohibitorum proſcripta ſunt, ex quibus excerpta multa orthodoxiam Weſſeli probantia protulit Flaccus illyricus (*d*) in Catalogo teſtium veritatis, & ex eo Abrahamus Mellinus. (*e*) alia ab his exhibet I. Wolfius: (*f*) ex quibus omnibus ſequentia tranſſcribemus. Quorum 1. eſt de fructu diſputationum ejus *Circuivi*, inquit *multas univerſitates, & certamina quærens multos reperi contradictores, aliquando etiam de fide ſcandalizatos; verum nunquam in ſcandalis dimiſſos*:

Seculum XV. Anno Christi.

(*c*) A. Regenvolſcius Hiſt. Ec. Slavoni. Provinc. lib. 2. cap. 10. pag. 183.

(*d*) lib. 19. cap. *D. Veſelus*.

(*e*) lib. cit pag. 598.

(*f*) lib. & Cent. cit. ad Anno 1455. pag. 935.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

miſſos: quia rationibus meis auditis & perſpicaciter conſideratis, vel conſentientes, vel ſaltem non irrationabiles conſitentes quietos reddidi, ut nemo finaliter de me conquereretur. item. *Cum ergo non homini credere oportet, neque Papæ oportebit. Valde enim in ambiguo fluctuaret fides noſtra, ſi illi credendum qui ipſemet ſæpe errat, ut in & ex Decretalibus convinci poteſt: & Rabineo Andegavis publice in Cathedra arguenti mihi confeſſus fuit, inquiens ſi hæc ita ſunt, univerſum noſtrum fundamentũ falſum eſt.* II. *de Sacræ Scripturæ* authoritate. *Quæ quæſo in his ratio mea, nonne Scriptura ſacra? Nunquid vis Papæ authoritatem ſapra ſacram Scripturam ferre? Papæ voluntas, & Scripturæ autoritas non æque conſtituta ſunt: ſed ut voluntas Papæ ſecundum Scripturæ veritatem, non veritas ſacræ Scripturæ à Papæ voluntate regulanda ſit.* III. de Paparum authoritate, primatu & factis impiis. *De theſauro Eccleſiæ neminem poteſt Papa vel Concilium generale locupletare vel ditare in parte aut in toto: niſi quem poteſt corde integrare, & affectu inflammare, quatenus verus theſaurus Eccleſiæ vere illi theſaurus fiat. Vnde ſi non poſſunt inflammare cor in poſſeſſionem illius theſauri, non etiam poterunt dare poſſeſſionem the-*

theſauri. Deſiderare poteſt Papa, orare poteſt, confidere poteſt, commendare poteſt, gratias agere poteſt, poteſt fortaſſis & precibus impetrare interdum, ſed ut authoritate donare aut regulariter impetrare poſſit (quam nec neceſſariâ requiſitâ præparatione optare poteſt) non credo. Nullo enim ſuo miniſterio vel opere, vel arbitrio poteſt, ut accedentes aut ſubeuntes omnes regulariter Deo ſint, quales eſſe debent. Quod ſi non poteſt quæ incerta ſunt & imperfectiora, quomodo, quæ graviora & perfectiora ſunt, poterit? Qui non poteſt digne præparare, quomodo poterit glorioſe conſummare? Vtrumque ſicut in ſolum Deum, ita etiam à ſolo Deo. Primatum Papæ, inquit Illyricus, *in libro Sacramenti Pœnitentiæ omnino rejicit. Negat prorſus poſſe aliquem ſupremum per orbem terrarum inſpectorem conſtitui.* addit, *alicubi etiam docet, quod quoniam Papæ & Spirituales pietati ſunt contrarii ideo ſint Anti-Chriſti.* Poſtmodùm ſubjungit idem Illyricus *Editus eſt ſeparatim ab aliis libellis, quidam Veſeli Germanicus liber, titulo de Subditis & Superioribus, ſeu quod ſubditi non uſquequaque ſuis Rectoribus obedire cogantur. In eo admodum multa & graviter contra Papæ & Prælatorum tyrannidem diſputat. Aſſerit, non niſi recte ſentienti,*

Seculum XV. Anno Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Chriſti.

tienti, ſeu credenti Papæ parendum eſſe. Nimias iſtas opes Eccleſiæ non prodeſſe ſed obeſſe. Papam peſſime redditus Eccleſiæ diſpenſare, & Eccleſias indigniſſimis per Simoniam, ob pecuniam aut alias utilitates & obſequia tradere. Vnde liquido colligi queat eum non curare Deum, nec Eccleſiæ ſalutem. Mandata Papæ & Prælatorum, non aliter nec longius obligare, niſi quatenus cum verbo Dei conveniant, ſeu quatenus eos res ipſa obliget. Alioqui eſſe tantum veluti Conſilia, ſicut Medicorum præcepta. Papam nihil ſub pæna peccati mortalis præcipere poſſe, ſi id Deus non prius præcepit. Dicit Claves Papæ ac Prælatorum non eas eſſe quibus regnum cælorum aperiant, ſed Claudant potius, ſicut & Phariſæi. Hactenus Illyricus ex Weſſelo: quæ ſequuntur Wolfius habet. *Edidit* inquit ille, *Weſſelus librum cui titulus farrago. In eo diſputat & concludit, quod ſubditi non teneantur credere Papæ, niſi recte credenti.* Obligatum *enim credere dicit melius credenti, & fidem noſtram non homini ſed Spiritui Sancto obligatam. Valde namque periclitaretur via juſti, ſi penderet ex via Papæ. cum ſummorum Pontificum plerique peſtilenter erraverint, ut noviſſimis diebus noſtris in Conſtantienſi concilio Claruit, Benedictus, Bonifacius, & Iohan-*

nes

nes XXIII. *qui graviter fidem lacerarunt. Et noſtris poſtremis diebus Pius* II. *&* *Sixtus* IV. *quorum alter patentibus bullis regna terrarum ſibi vendicavit, alter turpiſſimas diſpenſationes, non ſolum ſuper præſtito in cauſa civili juramento, ſed etiam de præſtando, de plenitudine poteſtatis, plumbatas bullas emiſit in abuſu poteſtatis Apoſtolicæ. Quicquid frater Petrus, vel comes Hieronymus inſolenter, aut avare geſſerunt, ipſe poſtea, cum reſciret, ratificavit, etiam bullis plumatis* addit Wolfius. *Idem* (Weſſelus) *refert de Pontifice Sixto, quod ad Petri Rnerii, tunc S Sixti Cardinalis ac Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Hieronymi fratris ſui poſtulationes, domeſticæ familiæ toti Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo* II. *à venationibus fuerat (horrendum dictu) in tribus anni menſibus calidioribus, Iunio, Iulio, Auguſto, maſculino coitu frui permiſerit, cum Clauſula: fiat, ut petitur.* IV. de gratuitâ juſtificatione per fidem, *aliquantò remiſſus quam Veſalienſis docuit* ut Illyricus inquit, *doctrinam* tamen *Papiſticam de tribus Pœnitentiæ partibus reprehendit, Satiſfactionem ſcripſit continere errorem, habere blaſphemiam, ac deſperationem, nutrire Purgatorium, communicationem operum ac indulgentias plane improbavit ac quidem ſe Pariſiis* quoque

Seculum XV. Anno Christi.

Seculum XV. Anno Christi.

quoque & Romæ indulgentias improbaſſe affirmat: aliaque contra Papatum dicta, ſcripta, facta apud eundem lege. Adde his denique V. Weſſeli prædicttionem, de inſtanti tum reformatione, quam G. Noviomagus à I. Oſtendorpio percæpiſſe ſcribit his verbis, *Magiſter Iohannes Oſtendorpius, Canonicus templi D. Levini Daventrienſis, vir multo ſtudio longâque experientia doctiſſimus, adoleſcens admodum, Veſelũ Phriſium (qui lux mundi vulgo dicebatur) ſenem adiit, & inter cætera ab eo audivit, quaſi jam, quod futurum erat prævidente: Studioſe adoleſcens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum Theologorum, Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejuſdem farinæ ab hominibus vere Chriſtianis Theologis explodetur. Id ego*, inquit Noviomagus, *à Caneſcente Oſtendorpio in templo D. Levini audivi, anno* 1520. *x. Calend. Martias.* Quæ prædictio, eventu confirmata jam dudum, oſtendit etiam quo loco Barbaram illam Scholaſticorum theologiam, ut ingeniorum, ita & religionis crucem habuerit Weſſelus noſter. Qui, licet opere martyr non fuerit, quia tamen voluntate, adeoque verus Chriſti confeſſor fuit, in benedictione conſervanda eſt memoria ejus, & fides imitanda. antequam autem ad alia progrediar,

Heb. XIII. 7.

non poſſum non adducere verba cujuſdam Weſſeli antagoniſtæ. Is eſt Angularis quidam, qui, Wolfio *Iacobus*, Georgio Draudio (*g*) verò *Iohannes* vocatus, librum Weſſeli contra indulgentias refutare conatus, anno 1470. inter alia ſic ſcribit (*h*). *Non intendo te rationibus impugnare: quis enim argumenta fortiſſima tua evincat? Sed pro magna tibi ratione, imo magis quam pro ratione debet eſſe Papæ & Prælatorum authoritas.* Ecce confitentem reum, ſed non ſe emendantem. Ego non ſine providentiâ divinâ hæc verba huic indulgentiarum propugnatori extorta puto, ut pateat nec illum nec indulgentias ipſas fundatas eſſe ſuper *Angularem* lapidem, Chriſtum quem rejicit quivis indulgentiarum prædicator & receptor, æque ac olim Phariſæi.

Nunc huic Groningano addamus alterum, cui Rodolpho Agricolę nomen eſt. Qui ſupra ętatem Gręcę & latinę lingue peritus fuit: ore facundus & judicio ſagax. Peragratâ Galliâ & Italiâ vix domũ reverſus erat, quin eodem tempore ab Heydelbergenſibus & Antverpianis longe diſſitis ſcholæ rectoratus ipſi offerretur. Heydelbergenſem, Antverpianâ Honeſtè recuſatâ, in ſe ſuſcepit. in eaque quà docendo, quà ſcribendo ſedulum

Seculum XV. Anno Christi.

(*g*) Biblioth. Claſſica libr. Theol. tit. *Indulgentiarum propugnatio.*

(*k*) I. Wolfius lib. & cent. citt. pag. 884. ad Anno. 1470.

Mat. XXI 42, 43, 44

Seculum XV. Anno Chriſti.

lum & fidelem ſe præſtitit, ut ꝛdiſcipuli & ſcripta ejus quam plurima loquuntur. Et ne quis putet huic homini, litteratori quippe, non theologo, parum appoſitè hic locum aſſignari, ſciendum eſt, ipſum pro ſtudiorum communione, à Theologiæ cognitione adeò alienum non fuiſſe, ut in ea hoſpes fuerit. Cognovit eam ergo, & quia corruptiſſimam deprehendit multum in eâ deſideravit. Quemadmodum autem cum Weſſelo amicitiæ colebat familiaritatem, ita quam ab eo didicit amplexus eſt fidei puritatem: adeo utile eſt bonis familiariter uti. Sed audi Philippum Melanchtonem, (*i*) de utroque hoc Groningenſi, nominatim Rodolpho Agricolâ, diſſerentem: *In Theologia quid deſideravit, memini huc ſcribere Ioſquinum Groningenſem; ſenem pietate & gravitate excellentem: ſe adoleſcentem interfuiſſe ſermonibus Rodolphi & Veſeli, in quibus deplorarint Eccleſiæ tenebras, & reprehenderint prophanationem in miſſis, & Cœlibatum. item diſputaverint de juſtitia fidei, quid ſit quod Paulus toties inculcat, homines fide juſtos eſſe, non operibus. Scribebat Ioſquinus, aperte eos rejeciſſe monachorum opinionem, quæ fingit homines operibus juſtos eſſe. Item ſenſiſſe eos de humanis traditionibus, errare*

(*i*) In Oratione de Vita R. Agricolæ cit. F. Illyrico in Catal. teſtum veritatis lib. 19. Cp. R. Agricola

re eos, qui affingunt illis opinionem cultus, & non poſſe violari judicant. Hæc ille de Rodolpho noſtro. quæ Orthodoxiam ejus evidenter probant, atque adeo merito nos eum cum cæteris noſtris inter veritatis teſtes numerare. Quod eò lubentius feci, quia inter linguarum & eruditionis reſtauratores coryphæus eſt. Etenim eruditione rurſus è cælo quaſi delapsâ, & per Agricolam alioſque etiam in his oris excultâ, Paulatim & veritas reſplendere cœpit. Barbaries litterarum & fidei, ut non multùm diverſa, ita & eodem fere tempore orbem invaſit, regnumque obtinuit. Quare & barbarie litterarum depulſâ, depulſa quoque ea, quæ fidei erat & doctrinæ. Ergo Agricola Hunc eruditionis agrum, ſpinis ignorantiæ obſitum, coluit ipſe, dum in vivis eſſet, & ut poſt ſe eundem excolere poſſent alii inſtituit & reliquit diſcipulos non paucos, nec degeneres aut pœnitendos. Quorum familiam ducit Hegius ille Alexander, Weſtphalus, ſcholæ Daventrienſis rector. de quo alibi ſcriptum inveni, quod ut Rodolphus Belga, primus Germaniæ reſtituit litteras Græcas, ita hic Alexander Germanus in Belgio illas excitavit atque hoc magiſtro

Seculum XV. Anno Chriſti.

multum

Seculum XV. Anno Chriſti.

multum profecerunt diſcipuli, eoque gloriati ſunt. inter cæteros habuit Deſiderium Eraſmum, Rotterodamo Batavum. Qui quod diſcipulum Agricolæ præceptorem habuerit lætatur, eoque nomine Hegii filium & Agricolæ nepotem ſe vocat, in explicatione ejus proverbii, (*k*) cujus notitiam & uſum ſe didiciſſe fatetur ex Rodolphi ad Senatum Antverpienſem Epiſtolâ, qua ei ſuadere conatur ut *ludo litterario præficiant aliquem, qui bonas litteras didicerit: nec uti ſolent, infanti Theologo, aut Phyſico id muneris committant: qui cum ſe quacunque de re dicere poſſe confidat, ipſum dicere quid ſit*, inquit Rodolphus, *ignorat. Quid enim is faciet in ludo litterario? Profecto, ut Græco diverbio utar, id ipſum, quod canis in Balneo. Quadrat* inquit Eraſmus, *in eos, qui ad rem quampiam prorſus ſunt inutiles, ita ut in balneo nullus eſt omnino canum uſus.* atque hæc de Rodolpho Agricolâ impræſens dicta ſufficiant: quibus tamen addo unum, quod ad confirmationem præcedentium & ſcopum noſtrum non parum ſpectat: Quod his verbis ex annalibus Sileſiæ excerptum apud Wolfium (*l*) ſcriptum reperio. *Iohannes Rota, Epiſcopus, in Sileſia emendavit & abolevit multos ſuperfluos*

(*k*) Adagorum Chil. I. Cent. IV. Prov. 39. *Quid Cani & Balneo?*

(*l*) lib. & cent. litt. ad Annum 1491. pag. 910.

ſtuos & impios in Eccleſia, templis, & proceſſionibus: cantum etiam nimium abſtulit: Eo quoque tempore Alexander Hegius Davemetrienſis (pro Daventrienſis) *& Rodolphus Agricola taxarunt abuſus in religione, & paulo poſt hic nodus Gordius à Luthero plane diſſectus eſt. Annales Sileſiæ* Hęc ibidem Wolfius. cui & Hegius ipſe veritatis teſtis eſt. Cujus mentionem propterea facimus; cum & præceptoris ſui Agricolæ, Eraſmo teſte ſimillimus fuerit, & cũ Weſſelo, inſigni illo veritatis teſte, ſupra nobis memorato familiaritatem, per litteras ſaltim coluerit, ut teſtantur ejuſdem *Epiſtolæ, una & altera, ad Rodolphum Agricolam & Weſſelum Groningenſem*, cum cæteris opuſculis Daventriæ anno 1503. editæ, ut teſtatur V. Cl. I. Revius (*m*) eo loco quo vitam Hegii deſcribit.

Seculum XV. Anno Christi.

Cæterum quia ſæpius in præcedentibus Monachorum Corbejenſium facta eſt mentio, non abs re futurum exiſtimo narrare quæ illius cœnobii ceremoniæ, qui ritus, his & præcedentibus temporibus fuerint. Hos brevibus ex ipſo Chronico Corbejenſi deſcribit Wolfius, (*n*) *Habuit, inquit Cœnobium corbejenſe vix ullam imaginem: & litaniam ac alias ceremonias multo reformatiores, quam nunc Romanenſes*. Ac proinde non mi-

(*m*) Hiſt. Daventr. Illuſtrate lib. 2. ad Annum 1483. pag. 131.

(*n*) lib. cent. Anno & pag. citt. tit. *Ceremoniæ corbejenſes.*

Seculum XV. Anno Chriſti.

mirum ſi ex eo, præ cæteris aliis, tot veritatis teſtes prodierint: non aliter quam ex equo Trojano olim proſiliebant inſignes viri, Trojam expugnaturi.

Nunc in recenſione veritatis teſtium pergamus, qui multi hoc tempore erant, & maximam partem Friſii Groningenſes. nam præter memoratos invenio Wilhelmum & Groſwinum; ſed nomina tantùm & teſtimonia generalia, quod tales fuerint, non facta, non dicta ſpecialia: his autor (*o*) adjungit quamplurimos alios qui ad ſequens ſeculum referendi: forte & Hi ipſi illic demum memorandi, ab Eraſmo in Epiſtolis laudati. Et ſane niſi Goſwinus, hic idem ſit qui Mornæo aliiſque Joſquinus Groningenſis eſt, certo certius ad ſequens ſpectant ſeculum. Sed & cum Joſquinus ille Philippo Melanchtoni, ſuperiora ab ipſo de R. Agricola memorata per litteras communicarit commodè ad illud referri poteſt. Quicquid ſit uterque fuit veritatis teſtis. ſicut & alter quidam Iohannes Tornacenſis, de quo Martinus Lutherus (*p*) teſtatur, *quod Primatum Papæ oppugnaverit, ac ob eam cauſam à Pariſienſibus ſit damnatus.* ſuccedat Ti-

leman.

(*o*) *Een trouhertige und droevige vermaninge aen de verſtroyde uytgeweken unde gemeyne ingeſetene des Vrieſchen omlanden, dorch einen uytgeweken liefhebber des Vaderlants.* 1574. 8.

(*p*) Citante F. Illyrico in Catal. Teſt. verit. lib. 19.

Cap. *Conradus Celtes & alii pii viri.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

lemannus, Monachus Minorita apud Groninganos. Is, nunc grandis admodum natu, civi cuidam, nomine Johannes Ludeke in confeſſione auriculari, quam audiebat, querenti, ſuam conſcientiam, neſcio quibus hominum traditionibus implicatam teneri, hiſce verbis reſpondit (q) *multa eſſe quæ de ea materia dici oporteret, Sed non eſſe liberum. Maximum enim eſſe periculum veritatem dicenti. Sed tamen eum breviter, Iam ſic rem accipere debere: Chriſtum pro nobis eſſe mortuum: eum ſolum eſſe noſtrũ ſervatorem, in eum ſolum fidendum: reliqua omnia, ut indulgentias & ſimilia, eſſe meras nugas, ideoque non curandas.* Quo in reſponſo magis deſideres παῤῥησίαν, quam orthodoxiam: adeoque cum appoſita fuerit ad gravamen confitentis tollendum, omnino eſt laudanda quæ privatim dicta, in aperto hodie ſunt: & niſi hominum efferorum tyrannis obſtitiſſet ipſe Tilemannus procul dubio publice, iſta aliaque his ſimilia docuiſſet. Sed & quis certò affirmabit, eum non ita publicè docuiſſe, vel ad minimum aliis confitentibus itidem reſpondiſſe?

Seculum XV. Anno Chriſti.

(q) Idem Illyricus lib. cit. Cao. *Tylemannus.*

Nunc alios duos Brabantos ſubjungamus: quorum unus eruditione, alter orthodoxiâ Clariſſimus fuit. Ille eſt

Nica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Seculum XV. Anno Christi. (r) Lib. & cent. citt. pag. 905. ad Annum 1489.

Nicaſius cæcus, & quia cæcus, ideo memorandus, hic Joannes Gochius. *Nicaſius*, inquit Wolfius, (r) *Werdæ Brabantiæ natus cæcus, ea dexteritate litteras addidicit, ut Lovanii primum hoc anno magiſter declaratus ſit liberalium artium: poſtea ex Papæ poteſtate Sacerdos Licentiatus Theologiæ: tandem Coloniæ ab Vniverſitate Doctor juriſprudentiæ Pontificiæ. Ille diu in ſcholis & Eccleſiis, cum maxima auditorum admiratione docuit Cæcus. Nam in hac profeſſione tam exquiſitus fuit, ut memoria tenens univerſum corpus, id ordine recitare atque allegare ad miraculum uſque ſcite & ingenioſe poſſet. Vude celeberrimum ejus nomen ubique factum. Palmerii appendix. Mortuus eſt anno* 1499.

cIɔcccc-xcix.

Pantal. tomo 2 *de viris Illuſtribus.* Hæc ille ex Authoribus citatis de Nicaſio cæco, werda Brabanto. Alter eſt ut diximus Johannes Gochius cognomento Pupperus. Præfectus virginum Mechlinienſium, in Tabor, Præsbyter, &, ut addit Mornæus, *Decurio*. Hic ut inter diſcipulos Weſſeli non poſtremus eſt, ita nec inter teſtes veritatis: Non pigebit deſcribere quæ de eodem ex noſtris F. Illyricus & ex Pontificiis V. Andreas ſcriptum reliquerunt. *Iohannes Gochius, præſbiter Mechlinienſis*, inquit Illyricus,

(s)

(s) circiter annos 110 floruit. De articulo gratuitæ juſtificationis rectiſſime ſenſit, & de multis aliis, quæ jam ordine commemorabo. Aſſeruit, ſcripta Thomæ, Alberti & aliorum Sophiſtarum, ex turbidis Philoſophorum fontibus fluentia; magis obſcurare, quam illuſtrare veritatem, pugnare cum canonica veritate, pugnare quoque inter ſe, Pelagianam hæreſim ſapere. Modernorum ſcriptorum & præſertim mendicantium ſcripta, dicit carere omni ſolido fundamento, non illuſtrare intellectum, ſed nudam ſimplicemque veritatem obſcurare, vanitatique magis deſervire quam veritati, & ſimillima quamplurima. Scripturam ſolam ſequendam, alioſque omnes Scriptores ad eam examinandos: etiam Pontificum conciliorumque decreta ei ſubjicienda. Vota tanquam ad pietatem inutilia, & cum libertate Chriſtiana pugnantia, prorſus damnat. Satiſfactoria, commentitiaque opera damnat: Chriſtianiſmum degeneraſſe in Iudaiſmum & Phariſaiſmum queritur. Vehementer aſſerit, nos per ſolum Chriſti merium fide juſtificari, & non per ulla noſtra merita. Dicit vere remanere peccatum in piis, at non imputari iis, ſed remitti propter Chriſtum & graviter refutat Sophiſtas, peccatum in ſanctis remanens

Seculum XV. Anno Chriſti.

(s) Catal. teſt. Vent. lib. 19. cit. Cap. I. Gochius.

Seculum XV. Anno Chriſti.

nens extenuantes Conſtanter veſtigia Pauli in prædicando Chriſti merito ſequitur, negans eum indigere gloſſis Sophiſtarum, in contrarium ſenſum ejus ſententiam rapientium Veriſimile eſt, eum & de aliis articulis recte ſenſiſſe ſi omnia ejus ſcripta extarent. Sed aliquot tantum eaque manca impreſſa ſunt. Hæc Illyricus de Gochio. nunc Valerius Andreas (*t*) de eodem eſt audiendus. Sic autem ille. *Vixit* (Gochius) *cum Neſſelo Groningenſi, ejuſdem ingenii homo, ut indicant ſcripta, de libertate Chriſtianæ relligionis, de gratia & fide, de Scholaſticorum ſcriptis, votis & obligationibus. Omnia in Germania tacite edita, neque paſſim diſtracta: Vnde & Patres Concilii Tridentini in prima Claſſe ea notarunt. Claruit anno Domini* cIↄ ccccxc. Hæc Valerius Andreas pro more, hoc eſt odio ſuo in reformatos. Quos omnes ferè cum prætereat in ſuâ Bibliothecâ, miror Gochium ab eo recenſitum. Cæterum lucem his omnibus, nominatim vitæ Gochii afferet quod de eo in epitome Biblioth. Geſneri (*u*) ſcriptum eſt his verbis, *Ioh. Gochii, Mechlinienſis præsbiteri Epiſtola Apologetica adverſus quendam prædicatorii ordinis, declarans quid de ſcholaſticorum ſcriptis, votis & obligationibus cenſendum atque tenendum ſit. Dialogus de quatuor erro-*

(*t*) Bibliotheca Belgica in vita ejuſdem

(*u*) Ante ſæpe à nobis citata, titulo Bibliothecæ Geſneri, lib. 1. in v. Iohan. Gochius.

ribus, circa Euangelicam legem exertis: de votis & religionibus factitiis, ſive de libertate Chriſtianæ religionis Concluſiones novem De libertate Chriſtiana quæ omnia in Germania excuſa ſunt. quibus verbis; alii duo tractatus, ſive incuriâ ſive ignorantiâ, V. Andrææ non memorati, Gochio adſcribuntur. Ad hæc ex iiſdem patet non ſine adverſariis fuiſſe eum qui an ſcriptis tantũ, an verò carcere & pænâ corporali eũ perſequuti ſint ignoro: plura enim de eo comperta non habeo. Quæ ipſa tamen qualia ſunt, ſatis evincunt orthodoxiam Gochii Pupperi. quo ſicut orthodoxi omnes, nominatim Brabanti, gloriantur, ita & heterodoxi, falsò Romano-Catholico-Apoſtolici nomine ſuperbientes, Ringuntur. Ego tamen iis, nominatim Brabantis meis author ſum, ut cum verbi divini authoritate moveri nolint, ad Papiſmum deſerendum, ſaltim veterum conterraneorum ſuorum exemplo, nominatim Tanchelini & Pupperi ad veritatem amplexandam, covincantur & ad eam poſtliminiò quaſi revertantur: hoc præſertim tempore, quo rebus, per Pacis tractatum, inter Philippum Hiſpaniarum regem & fœderati Belgii ordines nuper initum ita ferentibus, per Territorium Sylvæ-

Seculum XV. Anno Chriſti.

Seculum XV. Anno Chriſti.

ducenſe, Marchionatum Bergopzomanum, Baronatum Bredanum, Tractum Moſæ trajectenſem, maximam nobiliſſimamque Brabantiæ partem conſtituentes denique per his vicinas Tranſmoſanas ditiones, Falcoburgum (Coriovallum & Nuagerram veterum) Dealemum, & Rodum Ducis, (Vatucam antiquitus dictum) quo, inquam, per has regiones templorum vera luſtratio facta, iiſdem Sacerdotibus, ut injuſtis poſſeſſoribus aut denegatis aut ereptis, & ſoli Deo vendicatis, atque adeo Ecclesiarum ut neceſſaria ita & laudabilis Reformatio & ædificatio inſtituta eſt conſervata & defenſa quæ ut porrò feliciter, inque multorum ſalutem, procedat, unuſquiſque noſtrum pro munere donis & authoritate procurare debet: omnes autem quotquot ſumus ſupplices orare Deum Optimum Maximum debemus ut apertum verbi & fidei oſtium magnum & efficax, (cui claudendo adverſarii multi & callidi non fruſtraneam hactenus operam in dies ſingulos dederunt nec dare ceſſant aut ceſſabunt) pro potentiâ & philanthropiâ ſuâ apertum conſervet, ut rex gloriæ per id intret in cujus honorem à nobis ſuſceptum & huc uſque ejus gratiâ,

Col. IV. 3.
I. Cor. XVI. 9.
Pſ. XXIV. 7.

pro-

produćtum laborem, benevole acceptet Eccleſia, eoque in ſuum commodum utatur per Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu Sanćto, Deo uni & trino, ſit honor laus, & gloria in ſecula Amen.

Seculum XV. Anno Chriſti.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ELEGIA
DE
WALDENSIBUS.

Totum Roma ſuis implerat fraudibus orbem;
Nil niſi caligo relligionis erat.
Juſque Dei miſtum ſceleri, deſpectaque virtus,
Et verum & priſcâ cum pietate fides.
En! nova lux oritur ſpiſſis inimica tenebris,
Diſcutit & nebulas, Tartare cæce, tuas.
Et Babyloniaci diſpellit ſomnia regni,
Et Latii errores Vejovis, atque dolos.
Et cælo terras oſtendit, & æthera terris,
Purgatumque jubet mentibus ire diem.
Fervidus hunc ardor meruit Waldonis honorem,
Lugduni Rhodanus quà celer arva ſecat.
Principiò res parva fuit, mox juvit & æther,
Fælicique pium Numine crevit opus.
Haud ſecus ac, quum lympha ruit de montibus altis,
Rivulus effuſo flumine volvit aquas:
Sic circum latè vicina per oppida Waldo
Diſperſit fidei pura fluenta ſuæ.
Parva metu primò, vires mox publica ſumpſit,

Et docuit ſancti vox animoſa viri:
Lugduno pulſus varias volitavit in oras,
Et cœli veras undique pandit opes.
Allobrogeſque adiit, veteri ſic nomine dictos;
Vênit ut errantes dux gregis inter oves.
Et miſeros Chriſti dextrum convertit ad agmen,
Traxit & in melius relligionis iter.
Non tantùm his potuit terris Doctrina teneri,
Latius in junctos prona cucurrit agros.
Et defœcatam Latio, Provincia, tabo.
Te docvit, qualem dant ſacra ſcripta, fidem.
Illaque præruptas tentavit fortiter Alpes,
Tranſcenditque actis nubibus omne jugum.
Et Pedemontanæ, pulsâ caligine, genti
Præbuit æternæ lumina certa viæ.
Nuncia ſic veri prorepſit fama per urbes,
Auſaque magnorum viſere tecta Ducum.
Hauſeruntque ſacros ſitienti pectore fontes,
Et populi agnorunt, ſed ſine nube, Deum.
O Quantus pietatis amor! quantuſque refulſit
Ardor, & adjunctâ ſimplicitate fides!
Sed velut uſque ſuos hoſtes Eccleſia Chriſti,
Et Stygio ſævas ſenſit ab orbe faces:
Tunc quoque Rex Erebi præclaris obfuit orſis,
Movit & in furias totum Acheronta novas.
Incenditque ſuos regni crudelis alumnos;
Auſonium imprimis, ſanguineumque Lupum:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
His acuit ſcelerum vocibus ille pater:

 Quid

Quid ceſſas? quid Amice, tuæ ſacra negligis aulæ?
Quid dubitas hoſtes perdomuiſſe tuos?
Nulla tibi virtus animo, nulluſque recurſat
Romanæ, & noſtræ relligionis honor?
Fundamenta tui quatiuntur tota palatI,
Ter tibi mitratum concutiturque caput.
Nonne vides loculis emptæ diſpendia Miſſæ?
Dicitur hæc diræ relligionis opus.
Purganteſque ignes hominum figmenta vocantur;
Nec minus idolis gloria priſca perit.
Tuque Sacerdotum Chriſti caput eſſe negaris,
Et tua cognomen urbs Babylonis habet.
Eia age, rumpe moras, Papales exere vires;
Ni properes Romam vaſta ruina manet.
In facinus credas juraſſe tot oppida, gentes;
Dent citò, dent pænas, quas meruêre pati.
Non opus eſt verbis, monitiſque ex dogmate Chriſti:
Has potius laqueus, flamma, vel enſis agat.
Dixerat. In tumidas exarſit protinus iras,
Bellaque ſpiravit pectore Papa ſuo.
Horridaque eſt alios hortatus in arma Tyrannos,
Pollicitus ſummi ſplendida regna Dei.
Haud ſecus ac moniti faciunt. coit undique denſo
Agmine diverſis concita turba locis.
Germani, Gallique ruunt, & ſanguine gaudent
Innocuo dextras commaculare ſuas.

Ter-

Territat hoc miſeras numeroſo milite terras,
Papaque terribiles evomit ore minas.
Dicta furor ſequitur, rabidique inſania belli:
Atra cruentatis regnat Erinnys agris:
Heu, quantæ immeritis cædes Waldenſibus inſtant!
Inſonteſque manent funera quanta viros!
Quam multæ ſcelerum facies! Quæ prima nefandi
Carmine, quæ belli poſteriora loquar?
Per ſuperas auras Stygiâ de valle cohortes
Explicuiſſe ſuas Tartara nigra putes.
Eruit innumeras arceſque domoſque Tyrannus,
Et poſitas urbes ſternit, & æquat humo.
Funditus & totam tentat ſubvertere gentem,
Cumque piâ veram perdere gente fidem.
Matres, atque viros, juvenes, caſtaſque puellas
Cædit, & eſt illi pectore dura ſilex.
Non illum infantum miſeret, ſed ab ubere raptos
Projicit, & tenerum perforat enſe latus.
Armeniæ veluti tigres, rapidique leones,
Incitat in prædas quos triduana fames:
Arcadicique lupi, ſiccæ quos ſanguine fauces
In molles agitant, lanigeroſque greges:
Sic furit, inque dies furiarum laxat habenas;
Quamque feræ, in populos plus feritatis habet.
Non ſatis eſt illi miſeros vaſtaſſe penates,
Millia non ſatis eſt multa dediſſe neci:
Difficiles ſævoſque obitus trux invenit hoſtis,
Nec mortis ſpecies omnibus una datur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Vox mihi nulla capax, ut perſequar omnia verbis;
Queîs mortem intulerit, quoſque quibuſve modis.
Omnia tot rigidos referant elementa dolores,
Per quæ ſpectata eſt Waldica ſæpe fides:
Et conſtans cælo pietas, invictaque virtus,
Inque Deum nullâ morte peremptus amor.
Ipſa, puto, Natura parens furialibus auſis
Horruit, & gemitus obſtupefacta dedit.
Quo ruis in tantos, Tarpeje Tyranne, furores?
Quid ſanctos variâ, barbare, cæde petis?
Deſine, non franget ſtabilem inclementia gentem,
Nulla pios flectet mortis imago viros.
Hoc genus, intentum cœlo, diſcrimina vitæ
Ridet, & immiti ſe parat uſque neci.
Altius humanis ſublimia pectora tollit,
Et moriens tutæ gaudia pacis habet
Conſcia dum recti, & ſoli mens dedita Chriſto,
Flagitium tantis dictat abeſſe malis.
Victrices animæ referunt de morte triumphos,
De Styge, de flammis, Papa cruente, tuis.
Deſine: non credis curare humana Tonantem?
Et licuiſſe putas, dum potes, omne nefas?
Certè tempus erit, juſtas quo ſurget in iras,
Omnia cæleſti qui videt arce Pater:
Conteret indomitâ duros cervice Tyrannos,
Quique pios cineres vindicet, ultor erit.
Hi, licet oppreſſi, ſacræ ſunt buccina famæ,

Im-

Immotæque ſerunt relligionis opus.
Fæcundi cineres, ô Chriſti ſemina regni!
ô Veræ fidei luxurioſa ſeges!
Vre, neca, multo ſaturetur ſanguine ferrum,
Cumque ſuis urbes mœnibus arma ruant:
Victa tamen vincet, ſubverſaque turba reſurget,
Majoreſque dabit per tua regna vices.
Quas minimè reris, diſcent Waldenſia gentes
Sacra, petentque animis libera jura ſuis.
Fallor? an incipiunt Galli contemnere Romam?
Et venit ad Celtas intemerata fides?
Cum populis diſperſa fides lux publica mundi
eſt,
Et beat exilio diſſita regna ſuo.
Trans mare percurrit diviſos orbe Britannos;
Neſcia nec tanti flandrica terra boni eſt.
Et jam, jamque tuas penetrat, Germania, ſedes:
Purgat aquas ſacris fontibus, Albi, tuas.
Certaque Danubio cæli commercia portat:
Dalmaticoſque ſuo lumine luſtrat agros.
Pergit, & in planis figit tentoria campis.
Viſtula quos liquido nobilis amne rigat.
Pannonios, junctiſque fides confinia Moſchis
Sarmatis, & pariter regna Liburna ſubit.
Atque alias aliaſque plagas, & diſſona linguis
Ora docet Chriſti dogmata pura loqui,
Adde, quod Heſperiæ montes ſupervolat altos:
Nec ſinit Auſonios luminis eſſe rudes.
Nec timet ipſius tectis ſuccedere Romæ,
Inſtruit, & mediâ novit in urbe ſuos.

Quid? quod & Europæ ſolus non ſufficit orbis?
Inque Aſiæ fines jam ſibi ſternit iter?
An nondum, Romane tuo ſtat meta furori?
Sævaque in innocuos amplius arma moves?
Parce: nocet magnis violenta potentia regnis:
Si non vis populis parcere, parce tibi.
At ſi ſævitia, cædiſque cupidine plenum
Sanguine te veſci, viſceribuſque juvat:
Et ſi tot gemitus hominum funduntur inanes,
Nec vox te miſeris fletibus ulla movet.
I, ſequere hortatus Sathanæ, pete regna per undas
Sanguinis, & crudas, horribileſque neces:
Crede tamen, juſtas dum diruis, improbe, gentes,
Impia cum cælo, fœdaque bella geris.
Jam victrix tibi cauſa, Deo mox victa placebit:
Hoc quoque per pænas experiere tuas.

ROCHUS HOFFERUS

1652.

SEQUUN-

SEQUUNTUR
DOCUMENTA.

Quorum mentionem fecimus in præcedenti opere,

ET AD QUÆ
LECTOREM

remiſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

DOCUMENTA.

LITTERÆ NICOLAI, EPISCOPI ROMANI,

Quâ Guntharius Agrippinæ Colonienſis, Theotgaudus, Trevirenſis Galliæ Belgicæ Archiepiſcopi, cæterique Belgarum Epiſcopi, excommunicantur. Item Reſponſio ad eas per Guntharium & Theotgaudum, cæterorum nomine miſſa ad Nicolaum.

I. *Ex J. Aventino lib. Annal. Bojorum* IV. *pag.* 255.

NIcolaus ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimis & Sanctiſſimis fratribus noſtris Archiepiſcopis in Regno Hludovici Regis Germani conſtitutis. Scelus quod Lotharius Rex (Si modo, qui libidini ſervit, nec ſibi imperare poteſt, qui ſtupris, adulteriis regiam majeſtatem polluit, Rex dicendus eſt) perpetravit, vulgo notiſſimum eſt, ſatis quoque liquet, atque hujuſcemodi flagitiorum autores Guntherus & Tetgaudus, ſanctiſſimi ſcilicet Archimyſtæ exiſtunt. Quod de Epiſcopis credere nunquam omnino in animum induxiſſem meum, niſi iidem non modo ultrò confeſſi coram nobis Romæ, verum ſcriptis quoque tanquam benefacta impudentiſſime perfricatâ fronte tutati fuiſſent Quid multis opus verbis. Veritas ruſtica, aperta Simplex munditiis eſt, non eget lenocinio: mendacium

cium Vafrum, obſcurum, ut verum videatur, fuco & ampullis ſublevari ſolet, Nos qui Dei opt. Max. vicem, ovili ejus præſidendo, defungimur, communi ſacri cætus ſententia ritu ſolemni acta Epiſcoporum (qui ſub pientiſſimo imperatore Ludovico, indictione undecima, menſe Junio in Mediomatricum urbe convenerunt) velut impia, nefanda, Chriſtianæ philoſophiæ adverſa reſcidimus, Guntherum & Tetgaudum duces cæcorum, à Curia Pontificum amovimus, albo initiatorum omnino eraſimus. Nemo omnium poſthac in Claſſibus Sacerdotum cenſeat. Cæteris Epiſcopis, qui iſtis impientiſſimis actis ſubſcripſere, ſi reſipuerint, & ſe peccaſſe confeſſi fuerint, veniamq; ſupplices petiverint, gratiam facimus, hocque piaculo reſolvimus. Quod ſi quiſpiam aliter factitare auſus fuerit, aut illis (quibus à nobis ſacris interdictum eſt) dicto factove conſultor fautor adfuerit, diris devotus eſto, à ſupremo numine proſcriptus, beneficiis divinis exors, Reip. Chriſtianæ extorris, transfugis cælo, cum perfugis laribus, cæleſti patrià perpetuo exulato.

II. *Ex Annalium incerto Autore à Pithæo edito, ad annum* 863 *pag.* 63.

NIcolaus, ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimis & ſanctiſſimis, fratribus noſtris Archiepiſcopis, in regno Ludovici Regis

gis Germani conſtitutis. Scelus quod Lutharius Rex, Si tamen Rex veraciter dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrenat, ſed lubrica enervatione magis ipſius illicitis motibus cedit. * Teu berga ſcilicet & Waldrada commiſit, omnibus manifeſtum eſt. Sed & dudum Epiſcopos Theotgaudum & Guntharium in tali facto eum habuiſſe tutores atque fautores, pene totus nobis orbis undique ad limina ſeu ſedem Apoſtolicam confluens referebat, abſentibus quoque id ſcribentibus noſtro Apoſtolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Epiſcopis tale quid audire nullatenus ſperabamus. Donec ipſi Romã tempore concilii venientes, corã nobis & Sancta Synodo tales inventi ſunt, quales fuerant à multis ſæpe prædicati, ita ut Scriptura quam ſuis ſtipulaverant manibus quamque volebant ut noſtro roboraremus chirographo, caperentur, & dum muſcipulam innocentibus opponere ſatagerent, inſidiis ſuis illaqueati ſunt ipſi: ſicque completum eſt Deo auctore, quod in proverbiis legitur, Fruſtra jactatur ante oculos pennatorum: ſi quidem ipſi obligati ſunt & ceciderunt. Nos vero qui in hoc flagitium falſo cecidiſſe dicebamur, favente Domino cum juſtitiæ propugnatoribus reſurreximus & erecti ſumus. Igitur decernente nobiſcũ SanctaSynodo, inpręſentia depoſiti & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Epiſcopatus alienati indubitanter exiſtunt. Unde noſtra fraternitas

cano-

canonum normam Cuſtodiens, & decretorum Sanctiones obſervans cavet, ne hos, quos nos abjicimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præſumat. Depoſitionis autem ſententia quam in prædictos Tetgaudum & Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis qua Sancto Concilio nobiſcum ſanciente promulgavimus, inferius annexa Monſtrabitur.

DOCUMENTA

De Synodo in Metenſium urbe à Thietgaudo & Gunthario Archiepiſcopo congregata penitus abolenda.

CAPITULUM I.

SYnodum quæ nuper, id eſt ſub piiſſimo imperatore Ludovico per indictionem XI. menſe junio in Metenſium urbe ab Epiſcopis, qui noſtrum prævenerant judicium, collecta eſt, quique Apoſtolicæ ſedis inſtituta temere violaverunt, ex tunc, & nunc & in æternum judicamus eſſe caſſatam, & cum Epheſino latrocinio repudiatam Apoſtolica auctoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam, nec vocari Synodum, ſed tanquam adulteris faventem, proſtibulum appellari decernimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Depoſitio Thietgaudi et Guntharii Archiepiſcoporum

CAPITULUM II.

THeutgaudum Treverenſem primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Epiſcopos, nunc coram nobis & Sancta Synodo, ſub geſtorum inſinuatione qualiter cauſam Lotharii, regis & duarum mulierum ejus Theutpergæ ſcilicet & Waldrudæ ſe recognoverint & judicaverint, ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque ſe plus vel minus aut aliter egiſſe ore proprio multis coram poſitis affirmantes, & ſententiam quam à ſede apoſtolica, in Ingultrudem uxorem Buſonis Sanctiſſimus frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Tado, & cæteri coæpiſcopi noſtri petierant emittendam, & nos divino ſuccenſi zelo, ſub anathematis obteſtatione Canonice protuleramus, publice viva voce ſe violaſſe confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apoſtolicas atque Canonicas Sanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequiter temeraſſe, omni, judicamus Sacerdotii officio permanere penitus alienos, Spiritus Sancti judicio & beati Petri per nos auctoritate omni Epiſcopatus exutos regimine conſiſtere definientes. Quod ſi juxta præcedentem conſuetudinem

dinem tanquam Epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo, reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis, ſed communicantes eis omnes abjici de Eccleſia, & maxime ſi poſtea quam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentaverint.

De Cæteris Epiſcopis.

CAP. III.

CÆteri autem Epiſcopi, qui complices horum, Theutgaudi ſcilicet & Guntharii, vel ſectatores eſſe feruntur, ſi cum his conjuncti ſeditionem, conjurationem vel conſpirationes fecerint, vel ſi à capite, id eſt à ſede Beati Petri, illis hærendo diſſenſerint, pari cum eis damnatione teneantur adſtricti. Quod ſi cum ſede Apoſtolica, unde eos principium Epiſcopatus ſumpſiſſe manifeſtum eſt, ſapere de cętero per ſemetipſos vel miſſos ad nos legatos cum Scriptis ſuis profeſſi extiterint, noverint ſibi à nobis veniam non negandam, nec amiſſionem honorum ſuorum pro retroactis præſumptionibus, aut ſubſcriptionibus quas pro inſanis fecerunt geſtis, per nos ullo modo formidandam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

De Enegildruda.

Cap. IV.

ENgildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ à Buſſone proprio viro relicto * ecce jam per ſeptem circiter annos, hac atque illac vagabunda, nuper cum factoribus ſuis regulariter anamathemizavimus, ſed propter contumaciam iterato anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à Patre & filio & Spiritu Sancto uno & vero Deo, ab omnibus ſanctis patribus, & ab univerſa Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus excommunicatoribus atque auxiliatoribus ſuis, ita ut, ſicut jam decrevimus, ſi quis ei communicare vel favere in aliquo præſumpſerit, ſi quidem clericus fuerit, in eodem vinculo conſtrictus, officium Clericatus amittat, Monachi vero &Laici ſi inobedientes decreto pręſenti fuerint, Similiter anathemizentur. Sane Si eadem mulier ad virum ſuum reverſa fuerit, vel Apoſtolicam Beati Petri ſedem Romam properans, veniam ei poſt dignam ſatisfactionem procul dubio non negabimus. Veruntamen ſub priori vinculo anathematis, quo illam prius & nunc obligavimus, interim conſtricta permaneat. Si

quis

quis autem eidem Engildrudæ Apoſtolicam beati Petri ſedem Romam ſpecialiter properanti vel occurrenti neſcius communicaverit, aut ſciens opem in veniendo præſtiterit nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

De ſententiis antiquis interdictis ſedis Apoſtolicæ.

CAP. V.

SI quis dogmata, mandata, interdicta vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum à ſedis Apoſtolicæ præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.

I. Aventinus, pag. 255.

Contra hæc Epiſcopi Belgarum ita Reſcripſere,

NIcolao Pontifici, Guntherus ac Tetgaudus, patres Epiſcopi, & fratres coepiſcopi noſtri, nos ad te miſere: ipſi quoque ſponte Romam venimus, acta tibi obtulimus, ut ſi quid in his peccatum, erratumve videretur, tu

tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

tanquam parens benigniſſimus pientiſſimus benigne commonefaceres, atque uti præceptorem decet modeſte diſcipulos doceres. Tu vero accepto libello noſtro compluribus diebus nullum omnino reſponſum vel per internuncios reddidiſti: tantum abfuit, ut in conſpectum tuum admitteres, Nos inter hæc otioſi Romæ ſedimus, poſt menſem pene demum nos accerſitos, & abſque cunctatione advolantes, nihil mali ſuſpicantes more latronum oppreſſiſti. Nempe ubi in ædem recepti ſumus, peſſulo foribus obdito, comites noſtros ſacratos, prophanos excluſiſti. Expoliatos itaque omni ope humana, turba paganorum & Sacrificulorum tuę factionis cohorte ſine cætu Eccleſiaſtico, contra fas, contra decreta moremque majorum nos circumſtetiſti. Nemo Archiepiſcopus, nemo Collegarum, Nemo Pontificum adfuit. Neque tu aut de errore noſtro quicquam diſſeruiſti, erroremve teſtimonio, râtione aliquà arguiſti: Sed ſubito, & de improviſo, cum lateri tuo hæreret Anaſtaſius monachus, ambitus condemnatus, ſententiam injuſtam temerariam, nefandam, Chriſtianæ religioni repugnantem, de Chartula effutiſti, ſatis proterve tuis fratribus atque conſeruis illuſiſti. Immortalis Imperator Auguſtam & ſponſam ſuam clara æternaque Supellectile inſtruxit, dote non fragili ac caduca condonavit, ſed perpetuo diademate ac ſceptro ornavit: fecit eidem poteſtatem, deditque copiam, ut vivos conſecraret, cælo ad-

adſereret, ęgrotos curaret, mortuos immortalirate donaret. Quę beneficia tu veluti latro intercipis, templo dei præripis in teq; transfers. His factus fucus, ovibus abuteris, vivos occidis fortes ſuperis detrahis, vulneribus gladium melle litum condis: mortuos quibus per te reviviſcere non licet, ad inferos extrudis Tu pontificis quidem perſonam prę te fers, at tyrannum agitas: ſub habitu & cultu paſtoris lupum ſentimus. Titulus parentem mentitur, tuţe factis jovem oſtentas. Cum ſis ſervus ſervorum, Dominus Dominorum eſſe contendis. Juxta diſciplinam Chriſti Servatoris noſtri infimus ejus omnium miniſter templi Dei: tu vero libidine dominandi in præceps abis: quicquid tibi libet, licet. Fucus, Factus es Chriſtianis. His de cauſis, nos cum collegis noſtris, neque Edictulis tuis ſtamus, neque vocem tuam agnoſcimus, neque tuas bullas tonitruaque timemus. Tu eos qui ſenatusconſultis non parent, impietatis condemnas, iiſdem ſacrificiis interdicis. Nos te enſe jugulamus, qui Edictum Domini Deique noſtri conſpuis, Collegii diſcindis pacem immortalem, Cæleſtis principis teſſeram violas, Spiritus Sanctus author eſt omnium Eccleſiarum quà longiſſime, latiſſime terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei noſtri cujus municipes ſumus, ad univerſos cardines pertinet, major eſt urbe, quæ Babylonia à ſacris vatibus adpellatur, ut quæ divinitatem uſurpat, cælo ſe æquat, ſe æternam fore jactitet, perinde ac ſi eſſet Deus, immor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

immortaliſque ſapientia, nec unquam erraſſe, neque errare poſſe mendaciter gloriatur, &c.

FINIS.

Incertus Annalium Autor, pag. 67.

Epiſcopi vero ſupradicti poſtquam damnati ſunt hæc Reſcripſerunt.

CAPITULUM I.

NIcholao Pontifici Guntharius atque Theutgaudus Patres Epiſcopi, & fratres coepiſcopi noſtri ad te nos direxerunt, & nos ſponte ivimus, conſulere videlicet, expleta generali legatione, tuum magiſterium ſuper his ſpecialiter quæ pariter prout nobis viſum fuit, & * aditientibus notum eſſe potuit, judicavimus, auctoritates rationeſque quas ſecuti fuimus ſcriptis oſtendentes, ut tua ſapientia, perſcrutatis omnibus, quid inde ſentires quid velles, nobis paterno demonſtrares affectu, eoſque fraterna, caritate procurares, &, ſi melius illud tua ſanctitas inveniret, ut nos inſtrueres & doceres, ſuppliciter obſecravimus, parati quicquid rectius & probabilius eſſet, libenter amplecti.

CAP. II.

CAP. II.

SEd nos per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expreſſiſti tantum quodam die in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere & innocentes, juxta aſſertiones noſtri libelli.

CAP. III.

AD ultimum autem nos evocati ad tuam præſentiam adducti ſumus, nihil adverſitatis ſuſpicantes, ibique obſeratis oſtiis, facta more latrocinali conſpiratione, ex Clericis & laicis turba collecta & permixta, nos violenter inter tantos opprimere ſtuduiſti longa ſcilicet intercapedine à noſtris & Clericis & Laicis ſeparatos, atque ſine Synodo & ſine canonico examine, nullo accuſante, nullo teſtificante, nullaque diſputationis diſcretione dirimente, vel authoritate ac ratione convincente abſque noſtri oris confeſſione, abſentibus aliis Metropolitanis & dioceſaneis coepiſcopis & confratribus noſtris, extra omnium omnino conſenſum, tuo ſolius arbitrio & tyrannico furore nos damnare voluiſti, ſubito quadam tibi Chartula & improviſe porrecta lectoris officium aſſumens, aſſiſtente lateri tuo Anaſtaſio olim præſbytero ambitus damnato, & depoſito & anamathemizato, cujus ſcelerato magiſterio tuus ſceleratus præcipitatur furor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

Cap. IV.

Ergo tuam pravam ſententiam à zelo rectitudinis alienam, injuſtam, & inrationabilem canonicis legibus contrariam nequa quam recipimus, imo cum omni cætu fraterno, quaſi nefas atque maledictum fruſtra prolatum contemnimus atque abjicimus tibique, anathematorum & religionis ſacræ abjectorum & Contemptorum fautori & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius eccleſiæ communione & fraterna ſocietate quam tu arroganter te ſuper exaltans deſpicis, teque ab eâ elationis tumore indignam faciens ſegregas.

Cap. V.

Igitur ex tua levitatis temeritate propria tibimet, ſententia, anathematis plagam inflixiſti, exclamans, Qui Apoſtolica præcepta non ſervat anathema ſit, quæ multipliciter violare & violaſſe dignoſceris, divinas leges ſimul & ſacròs canones calcans, & quantum in te eſt, euacuans, prædeceſſorum tuorum Pontificum Romanorum, veſtigia ſequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam & calliditatem experti ſumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoſcimus, nihil tibi tuęque ſuperbiæ cedimus, qua nos ad vota noſtrorum, quibus faves

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 E 10

ves inimicorum odruere feſtinabas, ſcieſque nos non tuos eſſe, ut te jactas & extollis, Clericos, quos ut fratres & coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras, Et hæc tibi noſtri ordinis non inſcii, nimium tua improbitate compulſi reſpondemus, non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati, ſed contra tuam iniquitatem Eccleſiaſtico zelo accenſi, nec noſtræ utilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

DOCUMENTUM II.

EPISTOLA DIVI HULDERICI,

Auguſtenſis Epiſcopi,

Adverſus Conſtitutionem de Cleri Cælibatu,

Plane referens Apoſtolorum ſpiritum.

Hæc eſt Reſcriptio Sancti Hulderici Epiſcopi, in qua Nicolao Papæ de continentia clericorum non juſte, ſed impie: non canonice, ſed indiſcretè tractanti, ita reſpondit: Nicolao Domino & Patri pervigili, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proviſori, Hulderi-

cus ſolo nomine Epiſcopus, amorem ut filius, timorem ut ſervus.

